Q. D. B. V.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

INIQVITATE EXSPECTANTIARVM

BIBLI...CA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

QVAM

PRAESIDENTE

AVGVSTINO LEYSERO

MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET BRVNSVICENSIVM DVCIS CONSILIARIO AVLICO, IN TRIBVNALI GVELPHICO ADSESSORE, IN ACADEMIA IVLIA IVRECONSVLTO

PATRONO SVO AETATEM DEVENERANDO

D. MAII PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS SEIDEN

IN IVLEO MAIORI

HELMSTADII
TYPIS SEBASTIANI BVCHOLTZII
MDCCXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

EXſpectativæ & expectantiæ vox barbara eſt, & plus quam barbara, ipſis adeo medii ævi ſcriptoribus incognita, ex infimæ demum & ſpurciſſimæ latinitatis ſeculo hauſta. Incunabila eius vocis ſolicite inquirere, vix operæ pretium eſt. Neutram in iure canonico vel feudali Longobardico legiſſe me recordor. Primus ex his, quos vidi, auctoribus exſpectantiæ voce utitur interpres latinus *ſpeculi ſaxonici lib.* 1. *art.* 33. *Poſthumus*, inquiens, *hic ſui patris hereditatem obtinebit, qui, ſi poſthac moriatur, in matrem ſuam eam transfert, ſi ipſa ei in generatione poterit coæquari, & infringit omnem in patris feudo exſpectantiam feudalem, & tunc feuda ad dominum revertuntur, quia puer humanus & vivus poſt patris mortem apparebat.* Ita in vulgari editione. *Goldaſtus* vero, qui eandem verſionem latinam ſpeculi Saxonici *collectioni ſuæ conſuetudinum & legum imperialium pag.* 126. *ſqq.* inſeruit, in aliis editionibus ſic legi memorat: *& dirimit omnis poſſeſſionis ſponſiones in feudo patris ex eo, quia poſt mortem patris vixit, omniaque feuda patris vacabunt domino, a quo tenebantur, ſi puer fuerit oſtenſus tantus & talis, quod vivere potuiſſet.*

Digitized by Google

Et hæc quidem Goldaſti lectio melior & antiquior videtur. Neque enim iam interpretis iſtius temporibus vocem exſpectantiæ in uſu fuiſſe credo. Equidem recentiſſimum illum facit *Thomaſius in ſelectis capitibus hiſtoriæ iuris feudalis germanici* §. 58. *lit. m. Textus*, inquiens, *latinus in hodiernis editionibus ſaxonico vel germanico iunctus non eſt Epkonis, ſed interpretatio textus ſaxonici iuſſu Sigismundi Regis Poloniae facta & ſaepe ſaxonicum textum vix aſſecuta*, & ad auctoritatem *Schilteri in præfat. ad ius feud. Alem.* provocat, qui *in* §. 21. iuris ſaxonici feudalis latinam translationem a Sigismundo Poloniæ Rege procuratam fuiſſe dicit. Sigismundus vero anno poſt Chriſtum natum 1507. regnare cepit, ut adeo ætas translationis eius in ſeculum XVI. ſi Thomaſio & Schiltero fidem habemus, incidat. Permovit ſine dubio viros iſtos, ut ſic ſentirent, Sigismundus III. Poloniarum Rex, qui in iis tabulis, quibus ſpeculum noſtrum & Weichbildum confirmat; *Sigismundus*, ait, *avus noſter gravisſimus & ætatis ſuæ regum pater, ſpeculum iuris ſaxonici, & illud idem ius municipale, docti viri Jaskri lucubratione & commentatione illuſtratum, publicari per regnum & ditiones ſuas voluit, eidemque auctoritatem tribuit.* At mihi ea verba hoc non perſuadent. Equidem in eo cum *Schiltero Ex. ad D.* 23. §. 64. conſentio, verſionem latinam, quam hodie habemus, Epkonis Repkovii non eſſe. Concedo etiam, vetuſtisſima, quae in Germania confecta fuerunt, ſpeculi ſaxonici exempla verſione iſta latina carere, quemadmodum id ex duobus codicibus Oldenburgicis, quos *Gryphiander de Weichbild. ſaxon. cap.* 39. §. 9. memorat, patet. Largior præterea, Polonos forte eius verſionis auctores fuiſſe. Sed, utut fuerint, adornarunt eam ſine dubio ante

ante ſeculum XVI. Oſtendit *Conringius de origine iuris Germ. cap.* 31. *p.* 103. ſaxonicas leges a Leskone Nigro, qui ſeculo XIII. vixit, in Poloniam fuiſſe admiſſas. Veroſimillima eſt ea coniectura Conringii, qui ſaltem in hoc errat, quod benevolentiam & indulgentiam Lesci erga Germanos ad annum MCCLXXXVIII. referat; cum ea ad annum MCCLXXXV. referenda ſit, quemadmodum *Dlugloſſus hiſtoriæ Polonicæ lib.* 7. *pag.* 839. & 840. ac *Stanislaus Sarnicius Annalium Polonicorum lib.* 6. *cap.* 21. teſtantur. Verum ad iſtud ſeculum ego verſionis latinæ ætatem referre non audeo. Saltem tunc Germani iura ſua ſaxonica vernaculo idiomate ſcripta ſecum intulerunt & inter ſe pro lege habuerunt, non tamen confeſtim publice propoſuerunt,nec Polonis obtruſerunt, qui, ut *Dlugloſſus* ait, magna exſecratione & ſtomachatione conceſſum Germanis regimen & gubernationem Cracoviæ urbis improbarunt. Sed non duravit diu iſte Polonorum ſtomachus. Nam mox ſponte ſe iuribus ſaxonicis ſubiecerunt, atque adeo ad ſcabinos Magdeburgenſes provocare ab iisque ſententias expetere non dubitarunt. Suſtulit quidem iſtas provocationes Caſimirus Rex anno 1356. & iuſtitiam a Polonis ſuis Magdeburgi in poſterum emi vetuit, libros tamen, quibus iura ſaxonica continentur, non ſuſtulit, ſed, ut verbis eius utar, ordinavit, promulgavit, iisque & ſententias de iis poſtulari iuſſit. Legem ipſam Caſimiri exhibet *Dlugloſſus hiſtoriæ Polonicæ lib.* 9. *pag.* 1105. *ſqq.* Eo itaque tempore, ſi non ante, translatio iſta in linguam latinam facta eſt. Neque enim credibile eſt, ius in peregrina Polonisque incognita lingua ſcriptum Polonis promulgatum, Polonosque iudices, qui ex illo ſententias ferrent, conſtitutos eſſe. Sed dubium omne tollit Alexander

Rex, qui Sigiſmundum præceſſit, atque in decreto ſuo apud *Goldaſtum in Prolegomenis collectionis conſuetudinum & legum imperalium : Per Joannem de Lasko*. ait, *regni noſtri cancellarium , conſtitutiones iuris civilis, ſaxonici , Magdeburgenſis , quarum ipſe Cancellarius ante proœmium privilegii communis meminit , quam vigilantisſime de eorum Theutonici ſtyli originalibus libris per eum ipſum Cancellarium caſtigatas emendatas & novis rubricis diſtincte titulatas inſeri iusſimus , ſi quidem iuris civilis conſtitutiones nusquam correctas & in ſuis ſententiis integras , immo in toto earum tenore vitiatas & a ſuis originalibus longe vagantes invenimus.* Declarat hic Alexander, iam ante ſe latinam ſpeculi ſaxonici verſionem, ſed corruptam & imperfectam exſtitiſſe, ſe vero curaſſe, ut ea, collatis genuinis idiomate germanico ſcriptis codicibus emendaretur. Itaque ſic ſentio: Lectio illa, quam ſupra ex Goldaſto retuli, in qua ſponſio poſſeſſionis in feudo patris commemoratur, antiqua eſt, & ſeculi forte XIV, quod vocem exſpectantiæ ignoravit. Inſeruit vero eam vocem deinde ex uſu ſuorum temporum Joannes de Lasko, verſionis veteris emendator, ſeculo XVI. & ex hac emendatione poſtea illa in editiones vulgares irrepſit.

II.

Altera exſpectativæ vox antiquior paulo eſt. Omiſit illam plane *du Fresne in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis*, ubi tamen alias recentiores voces habet. Videtur in ſeculo XIV. inventa, atque a ſolis primum eccleſiaſticis ſcriptoribus adhibita eſſe. Antiquiores illa tanquam adiectivo plerumque utuntur & *gratia exſpectativa* dicunt, ſubinde tamen & ſubſtantive illam adhibent, aliudque ei adiunctivum iungunt. Sic *exſpectative*

væ apoſtolicæ nonnunquam fit mentio. Utriusque exempla vide apud *Nicolaum de Clemangiis* in libro *de ruina eccleſiæ cap.* 7. circa annum 1397. ſcripto, apud *Petrum de Alliaco* eiusdem fere ætatis ſcriptorem *de neceſſitate reformationis eccleſiæ in capite & in membris cap.* 18. quos auctores omnes exhibet *Hermannus von der Hardt in Magno œcumenico Conſtantienſi concilio tom.* 1. *Part.* 3. *&* 7. Occurrit eadem vox apud *Goldaſtum in conſtitutionibus imperii tom.* 1. *pag.* 391. *ſqq.* in Aviſamentis Sigismundi Imper. & communium imperii ordinum de anno 1416. ſi modo eius anni ſunt, de quo non ſine ratione dubitat *von der Hardt* in Prolegomenis ſupra memorati libri *cap.* 15. Reperitur etiam hæc vox *in concilio Baſileenſi ſeſſ.* 31. *in concordatis Friderici Imp. & Nicolai Pontificis de anno* 1448. in gravaminibus Germanicæ nationis ad Maximilianum Imp. apud *Freberum tom.* 2. *ſcriptorum rerum Germanicarum pag.* 373. denique *in Concilio Tridentino ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 19. Ab eccleſiaſticis ſcriptoribus mutuam accepere hanc vocem JCti, imprimis feudales, ſed tardius & ſeculo demum XV. Certe *Jacobinus de S. Georgio in libro de feudis*, quem circa annum 1487. edidit, eam ignorare adhuc videtur, & *in* §. *inveſtivi talem n.* 12. ubi doctrinam de exſpectativis feudalibus pertractat, vocem tamen exſpectativæ non adhibet, ſed circumſriptione verborum utitur, dicitque: *feudum collatum alteri ſub conditione, ſi aperiatur domino*, item: *inveſtitura ſub conditione, ſi primus vaſallus deceſſerit ſine heredibus maſculis.*

III.

Antiquiſſimus ſcriptor *de Beneficiis* quem *Thomaſius* nuper edidit & *in diſſert. de eius fato, vetuſtate, & raritate* §. 39. ſeculo X. vel XI. vindicavit, exſpectantiæ

&

& exſpectativæ voces ignorat, ſed loco earum concedere exſpectationem beneficii dicit §. 25. & 27. Magis latina eſt hæc phraſis ſine dubio, & placuit mihi ab initio, ut conſtituerim primum, omiſſis exſpectantiæ & exſpectativæ barbaris vocibus, diſſertationem hanc de exſpectatione inſcribere. At cogitavi deinde, JCtos, qui puriorem ſcriptionem in argumentis iuridicis affectant, uſuique recepto cedere nolunt, obſcuros fieri & fere negligi, idemque iis accidere, quod *Thom. Smith. l.* 1. *de Pronunc. ling. Gr.* advocato cuidam contigiſſe narrat, qui ſenatui academiæ Cantabrigienſis litteras ſupplices clientis ſui nomine obtulit, ſed, quod illas nimis latine ſcripſerat atque his verbis: *ſupplex a vobis contendit Titius, ut &c.* inchoaverat, barbarus ipſe a barbaris puriori dictioni non adſuetis creditus repulſusque eſt, ſed poſtquam, errore ſuo animadverſo, ſtylum mutaſſet atque: *ſupplicat veſtris reverentiis Titius, quod &c.* ſcripſiſſet, ſtatim, quod voluit, conſenſu omnium tam ſuavi dictione delinitorum impetravit. Retinui itaque barbaras voces, quæ diuturno uſu ius civitatis in iurisprudentia noſtra acceperunt.

IV.

Vox exſpectantiæ triplicem ſignificationem habet; (1) capitur pro nuda promiſſione facta ſollicitanti ab eo, qui conferendi poteſtatem habet, quæ ſignificatio in vulgus nota eſt, (2) pro literis promiſſionem confirmantibus, (3) pro iure ad rem promiſſam per conventionem conſtituto, in quo ſenſu hanc vocem potiſſimum accipimus. Priori ſenſu eſt promiſſio rei nondum vacantis in caſum vacantiæ. In ſecunda ſignificatione exſpectantia eſt inſtrumentum ſolemne, cui promiſſio de tali beneficio facta inſcripta eſt. In ultimo ſenſu exſpectantia

Digitized by Google

ctantia eſt ius ad rem, quod ex tali promiſſione oritur & exſpectativario adquiritur. Eſt igitur exſpectantia ratione eius, qui dat, translatio iuris ſuccedendi in alterius locum in caſum, ſi ille deceſſerit; ratione eius vero, cui data eſt, ipſa facultas iure competens ſuccedendi in alterius locum, ſi vacaverit.

V.

Reſpondet huic voci Germanica Anwartſchafft/ Angefäll. *Struvius ſintagm. iur. feud. c. 7. th. 4. n. 1.* Germani veteres vocarunt ein Geding. Sächſiſches Lehn-Recht *c. 7.* item die Wartung. *Ibidem cap. 55.* Et quoniam plerique a Principe promiſſiones huiusmodi ex gratia impetrant, paſſim adpellatur ein Gnaden-Lehn. *Hartm. Piſtor. l. 2. quæſt. 52. n. 1.* In iure feudal. Longobardico varie deſcribitur. *In 2. f. 26.* dicitur inveſtitura ſuper feudo militis, quod poſt mortem ipſius ad dominum reverti ſperatur. *In 2. f. 35. verſ. ubi vero:* dicitur inveſtitura de alterius feudo ſub tempore vel conditione, quo feudum domino aperiatur. *In 1. f. 3.* adpellatur inveſtitura eius feudi, quod alius detinebat, eo tenore alicui data, ut poſt deceſſum eius, qui poſſidet, habeat. Communiter exſpectantiæ nuncupari ſolent gratiæ, conceſſiones, primaria, quod ultimo in Principum curiis hodie nihil fere uſitatius eſſe dicit *Strykius diſſ. de exſpectantiis cap. 1. n. 8.* item exſpectativæ, gratiæ exſpectativæ. Nec infrequens eſt vox *ſuperinfeudatio*, qua ſcriptores feudales paſſim utuntur.

VI.

De iniquitate exſpectantiarum diſſertationem hanc inſcripſi. Mirum hoc illis videbitur, qui ſciunt *Præſidem meum celeberrimum in ſpecimine XLIII. de Pactis ſucceſſoriis meditat. 8.* exſpectantiarum defenſionem ſuſcepis-

cepiſſe, atque Schurffium, qui eas bonis moribus repugnare dicit, refutaſſe. Sed ipſe mihi, quum conſilium meum ei aperirem, adfirmavit, ſe quidem tunc de æquitate & iuſtitia exſpectantiarum perſuaſum illa, quæ in *memorata meditatione* continentur, ſcripſiſſe, ſed deinde longiore uſu & experientia edoctum, animadverſis plurimis malis, quæ ex exſpectantiis in rempublicam & privatos redundant, ſententiam mutaſſe, ac impoſterum eodem fervore, quo olim exſpectantias adſeruerit, eas oppugnare conſtituiſſe, nec turpe hoc ſibi ſed laudabile magis credere, atque irriſores ad libellum, quem ante aliquot annos *de variationibus & retractationibus JCtorum* ediderit, ablegare.

VII.

Quæ poſtquam ex Præſide meo accepi, non dubitavi propoſitum exſequi, atque iniquitatem exſpectantiarum luci publicæ hoc ſcripto exponere, in quo ſcripto conficiendo eum ſervabo ordinem, ut primum in genere de iniquitate exſpectantiarum diſſeram, measque eam in rem rationes exponam, deinde concluſiones quasdam conſtituam, tandem ad ſingulas exſpectantiarum ſpecies tranſeam, atque inprimis de muneribus ſacris ſeu exſpectativis eccleſiaſticis, porro de officiis civilibus, tandem de exſpectativis feudalibus paucis agam.

VIII.

Non ego ſum primus, qui contra iuſtitiam exſpectantiarum diſputo. Fecerunt id ante me plurimi, quos omnes hic recenſere tædioſum foret. *In* 1. *f.* 27. §. *ult.* Placentini memorantur, qui exſpectantias feudales damnarint. Eccleſiaſticas improbant Pontifices *in c.* 2. *&* 3. *X. de conceſſione præbendæ & in cap.* 2. *de conceſſione præbendæ in 6.* Jureconſultorum vero, qui privatis ſcriptis

ptis

ptis idem fecerunt, innumera eſt multitudo, quorum aliquos nominant *Bocerus de inveſtitura feudi cap.* 5. *n.* 15. *Carpzovius diſp. feud.* 6. §. 36. *Struvius in ſyntagm. iuris feud. cap.* 7. *aph.* 5. *n.* 3. & *Hornius in diſſ. de exſpectativa eccleſiaſtica.*

IX.

Non tamen ego cum illis, qui ante me de iniquitate exſpectantiarum ſcripſerunt, per omnia conſentio. Video enim, aliquos rigidos nimis eo progredi, ut exſpectantiis naturalem turpitudinem ineſſe, nulloque modo licitas eas fieri poſſe credant. Contra alii indulgentiores, quam par eſt, exſpectantias malas quidem eſſe agnoſcunt ac ſubtimide fatentur, nolleque ſe ipſos iisdem uti dicunt, ſed tamen, quia uſu receptæ ſint, obligationem gignere & ſuſtinendas eſſe contendunt. Ad hanc ultimam claſſem refero Hieronymum Schurffium, qui in conſilio, quod *Modeſtini Piſtoris Conſilio* 8. *vol.* I. adiectum eſt, exſpectativarum conceſſionem valere atque obligare adfirmat, ſed *num.* 8. hæc addit: *Licet interim negari non posſit, quod etiam in terminis dictorum iurium feudalium, ubi dominus feudi inveſtit aliquem de feudo per vaſallum poſſeſſo, ſub conditione mortis vaſalli ſine heredibus maſculis, talis inveſtitura non minus inducat votum captandæ mortis alienæ, quam pacta, quibus aliqui paciſcuntur de ſuccedendo invicem in futurum. Nam huiusmodi inveſtitura facta a domino non obſtante, quod diſponat de iure ſuo futuro, non tollit tamen tale votum captandæ mortis alienæ ut apparet, & ſic diſpoſitio d. c. ne captandæ & d. c. deteſtanda nullo modo ceſſat. Et cum quidam princeps ante multos annos volebat me de feudo per vaſallum poſſeſſo ſub tali conditione inveſtire, ego nolui, quia cum ſcirem, me*

 bomi-

hominem miſerum & peccatorem, difficulter potuiſſem me continere, quod non affectaſſem mortem talis vaſalli: omnia enim ſunt nuda & aperta oculis Dei, ut inquit Apoſtolus ad Hebræos, & ideo d. iura non immerito reputantur odioſa, tamen, quia iſta iura recepta ſunt, ab eis non receditur: pii tamen & timorati viri bonarum conſcientiarum vix laborant, ut taliter inveſtiantur in feudis nondum apertis ſub huiusmodi conditionibus. Bonarum enim mentium eſt, timere culpam, ubi culpa minime reperitur, ut inquit beatus Georgius, ſed pauci ſunt, qui illa curant propter nimiam avaritiam omnia excæcantem.

X.

Ego nec his nec illis adſentio. Natura ſua profecto turpes non ſunt exſpectantiæ. Eæ enim promiſſiones & pactiones ſaltem natura turpes ſunt, quæ officium erga Deum vel ſalutem publicam vel ius tertii directo lædunt. Exſpectativæ vero, etſi, ut deinde dicam, mala plurima plerumque ſecum trahant, quia tamen hæc non directo & per ſe ex illis fluunt, naturaliter turpes dici nequeunt. Qui diſſentiunt & naturalem illis turpitudinem adfingunt, votum captandæ mortis ſemper in ore habent, dicunt, qui exſpectantiam impetrat, non poſſe non ſpectare & deſiderare mortem poſſeſſoris, atque leges romanas, quibus omnes de futura ſucceſſione interpoſitæ ſtipulationes turpes & contra bonos mores eſſe declarantur, maxime crepant. Itaque neceſſarium eſt, ut de hoc voto captandæ mortis, quæ vox *in L.* 11. *C. de transactionibus* occurrit, paulo adcuratius agamus.

XI.

Digitized by Google

XI.

Negari non poteſt, omni exſpectantiæ cogitationem de morte alterius ineſſe. Accedit etiam ſpes potiundi re, cuius exſpectationem habemus. Huic ſpei porro innexa eſt neceſſario cupiditas, etſi exigua, aliqua tamen mortuum videndi eum, ex cuius fato ſpes noſtra & felicitas pendet. Negari hoc profecto nequit. Omnis ſpes cum aliquo deſiderio coniuncta eſt. Fatentur hoc philoſophi, quotquot de ſpe ſcripſerunt. Qui ſperat, optat, deſiderat conſequi id, cuius ſpes ei iniecta eſt, & quia id vivo præſente poſſeſſore obtinere nequit, mortem eius quoque ſperet & deſideret neceſſe eſt. Non eo inficias, poſſe accidere, ut exſpectativarius mortem poſſeſſoris non concupiſcat, ut, ſi filius patris, frater fratris, amicus amici ſui intimi munus vel bona exſpectare iuſſus ſit. Sed non muto ſententiam. Huic quoque exſpectationi votum captandæ mortis, ſeu cupido mortem poſſeſſoris videndi neceſſario ineſt, vincitur tamen & premitur contemplatione maioris boni, quo inpræſens fruitur exſpectativatus. Igitur latitat illa cupido, ut exſerere ſe nequeat. Tolle vero conſiderationem boni maioris, finge, extraneum reperiri, qui pater hucusque creditus eſt, aufer fraternam pietatem, fac ceſſare amicitiam vel in odium eam converte. Emerget iam, quæ ſemper adfuit, ſed occulta hucusque iacuit, cupiditas mortis alienæ, ſuperatoque impedimento viciſſim triumphabit.

XII.

Omni itaque exſpectativæ ineſt votum captandæ mortis. Verum iſtud votum, ſi pro deſiderio innoxio & cupiditate otioſa accipitur, nec ipſum turpe eſt, nec exſpectantiam turpem reddit. Studium ſalutis & felici-

Digitized by Google

tatis propriæ præcipuum, imo unicum eſt iuris naturalis fundamentum, atque, ſi quod primum principium ſtatui oportet, primum eius principium, quemadmodum *celeberrimus Præſes meus in ſpecim. III. de Jure naturæ & gentium medit.* 4. oſtendit. Ex hoc fonte officia omnia erga Deum & alios homines profluunt. Si itaque caritas propria cum caritate alterius collidatur, hæc cedet illi ſine dubio. Quamobrem dum bonum aliquod noſtrum eſſe quam alienum malumus, dum bono iſto honeſte potiri optamus, dum obſtacula omnia, quæ nos ab eius poſſeſſione excludunt, amoveri cupimus, rem facimus naturæ humanæ convenientiſſimam.

XIII.

Sed, miſſo naturali iure, divinum poſitivum, quod ulterius longe progreditur, conſideremus. Damnat Deus in decalogo *Exod. XX*, 17. 18. omnem adpetentiam fortunarum alienarum. Ergo & exſpectativas damnare videtur, quibus adpetentia illa neceſſario ineſt. Duplex hic vulgo ſibi faciunt effugium. Dicunt primo, adpetentiam non otioſam ſed efficacem & actu quodam ſe exſerentem prohibere ibi, nudam autem concupiſcentiam, ut Pontificiorum verbis utar, non peccatum, ſed naturæ quandam ægritudinem & infirmitatem eſſe. At vero Paulus Apoſtolus *ad Roman. VII*, 7. 8. legem iſtam adeo dilucide interpretatur, ut dubium nullum ſupereſſe poſſit, quin ſola cupiditas animo comprehenſa in ea improbetur & peccatis adnumeretur. Melius eſt alterum latibulum, in quod ſe recipiunt. Aiunt, Deum adpetentiam ſimplicem & abſolutam, non conditionatam prohibere. Rem optime explicant *Stephan. Fagundez in Decal. tom.* 2. *præcept.* 10. *c.* 2. *n.* 13. & ex eo *Strykius de Exſpectantiis c.* 1. *n.* 30. *ſqq.* *Nec concupiſcentia*, inquientes,

Digitized by Google

entes, *fortunarum alterius iure divino morali nos ſtringit; non enim ſimpliciter in exſpectantiis fortuna vel bona alicuius expetuntur, ſed ſub conditione, ſi nimirum fatis alterum ceſſiſſe contigerit; concupiſcentia autem effectui non proxima nihil quoque operabitur. Omnia quippe peccata, quæ committuntur in proximum habent rationem mali ex duobus principiis; primo quidem ex deordinatione voluntatis illius, qui peccat: ſecundo ex nocumento, quod infertur ei, contra quem committitur peccatum. Neutrum eſt in exſpectantia. Nec enim nocumentum proximo inferre deſiderat, nec invito domino rem alterius concupiſcit, quia in eum conceſſio facta eſt caſum, ubi bona alterius eſſe deſinunt, & ad illum revertuntur, qui exſpectantiam concedit; Certe non hic aliena, qua talia, appetuntur, ſed qua in liberam promittentis poteſtatem devoluta.* Quamvis vero *Caſpar Zieglerus in dicaſtice concl. 6. n. 7.* obiiciat, vitium, quod concupiſcentiæ inhæret, ex conditione iſta non corrigi, quum concupiſcentia in rem alienam de præſenti feratur, atque hinc vitioſa & intempeſtiva ſemper ſit, nondum tamen ille, quod probandum erat, probavit, Deum ſcilicet concupiſcentiam omnem etiam innoxiam & quæ in rem alienam non tanquam alienam, ſed tanquam vacuam & poſſeſſore deſtitutam fertur, damnare voluiſſe. Id quod mihi nemo perſuadebit.

XIV.

Jus romanum exſpectativas ſine dubio damnat. Damnat enim pacta omnia de futura ſucceſſione. Exſpectativas vero pacta ſucceſſoria eſſe nemo negabit. Ratio prohibitionis indubie eſt votum captandæ mortis, uti *in L. 11. C. de Transact.* vocatur, non ſimplex quidem illud, quod intra fines cogitationis & nudi deſiderii conſiſtit,

de

Digitized by Google

de quo nos huc usque egimus & quod tolerabile eſſe diximus, ſed efficax & quod exterius ſe per actum quendam exſerit. Summa nempe erat hac in parte Romanorum improbitas, ut non ſolum illi, cui ſe ſucceſſuros ſciebant, mortem optarent, ſed & ferro, veneno, aliisque artibus ſpem ſuam promoverent. Non extranei tantum, ſed fratres fratribus, liberi parentibus, & quod incredibile noſtro ſeculo videbitur, parentes liberis ob hanc cauſam inſidias ſtruebant. De matribus id *Juvenalis in Satyra VI.* teſtatur;

Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior eſt res,
Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ.
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit, tumidus prægustet pocula pappas.
Nos utinam vani! ſed clamat Pontia: feci;
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprenſa patent, facinus tamen ipſa peregi.
Tune duos una, ſævisſima vipera, cœna,
Tune duos? ſeptem, ſi ſeptem forte fuiſſent.

Atque hinc videmus, non vanum eſſe, quod Conſtantinus *in L.22. C. de Admin. tutor.* matres ſecundo nubentes plerumque novis maritis non ſolum res filiorum, ſed etiam vitam addicere adfirmat. Nec matres liberis iam natis ſaltem, verum in utero exiſtentibus etiam lucri cauſa inſidiabantur. Refert certe ex Cicerone Tryphonius *in L. 39. de Pœnis* mulierem gravidam a marito relictam partum ſibi, accepta ab heredibus poſthumo ſubſtitutis pecunia, abegiſſe. Quæ quum matres peregerint,

rint, nemo de extraneis dubitabit. Infinita de iis exempla adferri poterant. *Seneca lib. 6. controv.* 4. in caſu, quo uxor, quæ maritum heredem ſcripſerat, veneno occiſa deprehenditur: *Nolite*, inquit, *mirari*, *ſi tam efficax venenum eſt. Heres eſt*, *qui dedit.* Galba apud *Suetonium in vita eius c.* 9. tutorem, quod pupillum, cui ſubſtitutus heres erat, veneno necaſſet, in crucem ſuſtulit. Neque moris tantum erat, veneno aut ferro occidere. Solebant ſecurius alimenta aut medicamenta ægrotantibus denegare *l.* 3. *de his*, *quæ ut indignis.* Itaque periculum vitæ, quod ſubeundum erat his, de quorum ſucceſſione pacta fiebant, unica fuit cauſa, quæ Romanos, ut pacta ſucceſſoria prohiberent & *in L.* 4. *C. de inutil. ſtipul.* contra bonos mores eſſe dicerent, impulit. Patet hoc clare ex *L.* 30. *C. de Pactis*, ubi pacta hæc plena triſtiſſimi & periculoſiſſimi eventus eſſe dicuntur.

XV.

Ne quid tamen diſſimilem, nondum ſatis perſpicio, cur Romani ſola pacta ſucceſſoria ob inſitum captandæ mortis votum damnaverint, alia vero negotia plurima, quibus idem votum pariter & magis etiam ineſt, permiſiſſe. Non improbant leges noſtræ ſucceſſiones ab inteſtato, nec teſtamenta nuncupativa, nec donationes mortis cauſa, nec pacta ſucceſſoria, in quæ conſentit is, de cuius ſucceſſione agetur. Reſpondent quidem communiter, illis negotiis certam ſuccedendi ſpem non ineſſe, quippe quæ per contrariam diſpoſitionem interverti poſſit. At non tollit hæc incertitudo votum captandæ mortis, ſed auget etiam, & incitat magis ſperantem, ut cæde eius, cuius ſucceſſionem ſperat, mutationem voluntatis præveniat. Fac tamen, iſtud effugium in receſſu

Digitized by Google

habere. Adprobant Romani multa alia negotia, quibus indubia ſuccedendi ſpes ineſt. Fatentur imperatores ipſi in *L.* 11. *C. de Transact.* fideicommiſſio ſub conditione, ſi heres vita exceſſerit, dato votum captandæ mortis ineſſe, atque tamen id ſtabiliunt. Arrogatio verum eſt & irrevocabile pactum ſucceſſorium §. 3. *J. de adopt.* atque valet tamen. Valent etiam pacta ſucceſſoria militum *L.* 19. *C. de pactis.* Valent donationes, retento ad dies vitæ uſuſfructu *L.* 28. *C. de Donat.* Valent donationes mortis cauſa, in quibus ſibi donator pœnitendi facultatem adimit, *L.* 13. §. 1. *L.* 27. *de Mortis cauſſa donat. Nov.* 87. Taceo, legitimam, ſubſtitiones pupillares & alia. Igitur, ſi regula generalis eſt, omnia negotia, quæ votum captandæ mortis inducunt, improba & contra bonos mores eſſe, improbe & contra bonos mores fecere Romani, quod iſta, quæ modo recenſuimus, negotia permiſerint. Ego votum captandæ mortis inter rationes, quæ contra exſpectantiarum conceſſiones pugnant, locum aliquem invenire poſſe largior facile. At is locus primus & præcipuus non erit, nec, niſi aliis rationibus ſuſtineatur, ad excludendas exſpectantias ſufficiet.

XVI.

Interim, quemadmodum dixi, votum hoc captandæ mortis efficit, ut magis exſpectantias damnem, illaſque aboleri ſuadeam. Eſt quidem hoc votum ſeu ſtudium accelerandi mortem eius, cuius ſucceſſionem aucupamur, non tam exſpectantiæ ipſius, quam hominum vitium. Sunt tamen exſpectantiæ ad excitandum & nutriendum hoc vitium maxime aptæ, atque de cetero nihil boni in ſe habent, nec quidquam reipublicæ proſunt. Actus vero inutilis, alendiſque vitiis idoneus, etſi

Digitized by Google

etſi natura ſua non vitioſus, rectius interdicitur, quam toleratur.

XVII.

Obiicietur forſan, votum captandæ mortis cum inſidiis vitæ coniunctum apud Romanos veteres frequens, ſed recentioribus ſeculis incognitum iam diu metui deſiiſſe. Enim vero nimis ſeculo noſtro blandimur nonnunquam, & ſæpe facinora, quia occultius hodie & maiore aſtu perpetrantur, ideoque oculos effugiunt, omnino ſublata credimus. Ætas profecto noſtra non melior & religioſior facta eſt, ſed cautior & callidior. Peccat perinde, ut veteres, proſpicit tamen magis, ne deprehendatur. Infinitus eſt illuſtriſſimarum & illuſtrium familiarum numerus, quas mors & antiquiſſimis & patrum noſtrorum & noſtris temporibus exſtinxit, & in quarum ditiones ſucceſſerunt exſpectativi. Vulgatus rumor mortem hanc ſucceſſoribus imputat. Vanus is eſt forſan rumor, ſed & verus eſſe poteſt. In veritatem facti inquirere auſus eſt nemo abſterritus potentia ſucceſſorum, quæ hodie etiam in poſteris eorum perdurat, nobisque ipſis ſuſpiciones noſtras aperire volentibus os claudit. Malumus itaque exempla, quæ nobis ſuggeruntur, ſilentio involvere, ac non noſtris, ſed *Julii Clari* verbis uti, qui *lib. 4. ſententiarum* §. *Feudum, quæſt.* 14. *Debent*, ait, *imperatores & principes abſtinere ab huiusmodi inveſtituris concedendis, ne inducant votum captandæ mortis, ut audivi contigiſſe noſtris temporibus in quodam Marchione ex primatibus Italiæ, cuius nomen tacetur.* Non expedita ſatis eſt coniectura, quem Marchionem ex primatibus Italiæ Clarus intelligat. Obiit Clari temporibus anno 1533. Joannes Georgius Montisferrati marchio, familiæ ſuæ ultimus, morte

te ſubita, ſucceſſoremque beneficio Caroli V. imperatoris nactus eſt Fridericum Gonzagam Mantuæ marchionem, quem idem Carolus V. paulo ante, anno ſcilicet 1530. ducem fecerat. Utrum hunc ſpes ſucceſſionis a Carolo facta ad tollendum Joannem Georgium uxoris ſuæ patruum impulerit, aliis diſquirendum relinquo.

XVIII.

Sed inquies, Germanorum pietas voto iſti captandæ mortis locum non relinquit. Hoc ipſe olim *Præſes meus graviſſimus* credidit, atque in *Specimine XLIII. de Pact. ſucceſſ. medit.* 3. inſidias ſucceſſionis cauſa in Italia forſan ſtrui hodie poſſe dixit, Germanos autem ab hoc crimine abſolvit. Verum Germani ipſi tantum probitati ſuæ non fidunt, ſed & hac in parte ſe homines eſſe haud obſcuro teſtimonio apud *Puſendorſium de Rebus geſtis Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici lib.* 18. §. 8. fatentur. Nempe Friderico Wilhelmo, Cæſar & imperii ordines, ut Belgis ſuccurreret, bellumque Gallis indiceret, perſuaſerant, & indemnitatem polliciti erant. Compoſito bello, elector ſatisfieri ſibi Ratisponæ in comitiis iure optimo poſtulabat, atque inter cetera exſpectativam in Friſiam orientalem flagitabat. Negare vix poterant ordines, electori aliquid deberi, exiſtimabant tamen, ea, quæ poſceret, ſalva æquitate concedi non poſſe. Imprimis obiiciebant exſpectativam in Friſiam orientalem continere votum captandæ mortis, eoque merito odioſiſſimam habendam, iuvenem principem ibi eſſe cum ſpe prolis ac inſuper alios ſucceſſores ex vetere comitum Riedbergenſium gente ſuperſtites agere. Itaque hanc exſpectativam non impetravit elector.

XIX.

XIX.

Sed occultiores etiam artes habent exſpectativarii, quibus ad promiſſam ſucceſſionem obtinendam graſſantur. Inter has eſt, quod nonnunquam eum, cui ſuccedere cupiunt, ne prolem maſculam ſuſcipiat, quovis modo impediunt. Novi familiam nobilem interitui ſuo proximam, ex qua, qui ſuperſtes hodie eſt, heros unicus aperte, uxorem ſuam ab exſpectativatis medicamine ſterilem redditam & abortum ei ab eisdem procuratum, queritur. At hoc improbum eſt nimis. Subtilius peccant, qui curant, ne poſſeſſor prædii, quod exſpectant, matrimonium plane ineat. Peccant hi vere, etſi peccare ſe non credant, ſed bonum etiam opus facere ſibi perſuadeant, dum cœlibatum matrimonio ex Pauli apoſtoli ſententia potiorem procurant. Exemplum memorabile ſeculum ſuperius vidit. Rex Galliæ Ludovicus XIV. ſucceſſionem in Lotharingiam exſpectabat, vaniſſimo quidem prætextu, ut *Ludwigius tom. 2. lib. 1. Opuſc. 4. in Lotharingia vindicata adverſus Regem Galliæ* egregie oſtendit, ſed exſpectabat tamen. Obſtare ſibi maxime videbat Carolum IV. vel, ut alii computant, V. Nicolai Franciſci filium, quem ipſe rex heredem Lotharingiæ declararat. Ferro eum aut veneno tollere nolebat, ſed malebat matrimonio arcere. Ipſe ei olim Mariam Joannam Baptiſtam Caroli Amadei Nemoroſiæ ducis filiam deſponderat, tabulasque dotales ſubſcripſerat, atque ipſas etiam nuptias abſente Carolo a procuratore eius celebrari paſſus erat. Deinde vero re altius cogitata, regem indulgentiæ huius pœnituerat. Igitur, ut matrimonium hoc rumperet, tentabat omnia. Carolum Pariſios conſummandi eius cauſa venientem exire confeſtim iubebat, cuſtodeque addito, ne deſtinata

Digitized by Google

perficeret, impediebat, poſtea ſponſam per blanditias & minas, ut in diſſolutionem matrimonii conſentiret, adigebat, matrimonium ipſum per iudices datos ex fictis cauſis nullum declarabat, pontificis adſenſum variis artibus extorquebat, ac tandem Carolo Emanueli Sabaudiæ principi, ut ſponſam Caroli uxorem duceret, perſuadebat. Narrant hæc late *Beauvau dans les memoires pour ſervirà l' hiſtoire de Charles* 4. *Duc de Lorraine pag*. 244. *ſqq*. & ex eo auctor anonymus *de la vie de Charles* 5. *Duc de Lorraine liv*. 2. *pag*. 128. *ſqq*.

XX.

Sed iſtæ tamen, quas modo memoravimus, rationes ſolæ, ut exſpectantias iniuſtas diceremus, nos non perpuliſſent. Longe graviores ſuppetunt. Ipſum nempe bonum publicum, cui manifeſte contrariantur exſpectantiæ, nos imprimis, ut par eſt, movet. Oſtendemus hoc iam, & mala, quæ ex exſpectantiis in rem publicam redundant, exponemus.

XXI.

Primum malum eſt, quod exſpectantiæ patrimonium reipublicæ deminuunt, nec eam vires aut incrementa ſumere ſinunt. Verum hoc eſſe, nullo luculentiore exemplo, quam imperii noſtri germanici, oſtendi poteſt. Quam acciſæ ſint illius opes & quam nihil fere cæſari relictum, quo dignitatem ſuam ſuſtentet, norunt omnes. Jam diu remedium huic malo quæſivere maiores, nec melius invenerunt, quam ut a Cæſare ſtipularentur, ne feudum, ſi quod in poſterum imperio aperiatur, alii concedat, ſed uſibus publicis ſeponat. In hanc formulam iurare adacti ſunt Cæſares omnes a Carolo V. ad Matthiam usque. Vide *Capitul. Caroli V. art.* 24. *Ferdinandi I. art.* 23. *Maximiliani II. art.* 12. *Rudolphi*

phi II. art. 25. *Matthiæ art.* 29. Sed animadvertunt electores, cautionem inutilem eſſe, nec quidquam per illam imperii patrimonio adcreſcere. Aperiebantur quotannis feuda. At ſimulac aperiebantur, aderant etiam, qui exſpectativam ſibi in ea conceſſam proferrent, & ſucceſſionem ſibi vindicarent. Movit hæc res electores, ut Ferdinando II. *in articulo* 28. *Capitulationis eius* etiam poteſtatem exſpectantias dandi adimerent, eosdemque limites Ferdinando III. *in art.* 32. Leopoldo in *art.* 30. & Joſepho in *art.* 29. ponerent. Repetitum idem fuit *in Capitulatione Caroli VI. art.* 11. addita nova limitatione hac: Denen von unſern Verfahren am Reich denen Ständen propter benemerita ertheillten und denen Reichs-Conſtitutionibus gemäſſen Anwartungen auf künftige ſich erledigende Reichs-Lehn an ihrer Krafft und Bündlichkeit unſchädlich; quæ tamen in priſcis capitulationibus tacite iam continebatur. Agnovere igitur electores, per exſpectantias bonum publicum & incrementum impediri. Nec dubium eſt, quin idem aliis regnis & rebuspublicis ſit metuendum.

XXII.

Deinde exſpectantiis & illud malum ineſt, quod per illas rerumpublicarum rectoribus facultas præmiis benemeritos adficiendi adimatur. Errant, qui putant, rempublicam ſine præmiis florere poſſe. Egregie Solon apud *Ciceronem in epiſtola* 15. *ad Brutum* rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna. Certe

Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum;

Seu

Digitized by Google

Seu, ut *Juvenalis ſatyra X.* ait:

> \- - - - *quis virtutem amplectitur ipſam,*
> *Præmia ſi tollas?*

obiicient ſine dubio diſſentientes,exſpectativas ipſas præmia eſſe. Et ineſſe illis aliquam præmii ſpeciem fateor. Sed ſi rem curatius perpendis, invenies, ſpem iſtam incertam & fallacem ſæpe, quam exſpectantiæ oſtentant, vix præmium dici poſſe, nec ſatis hominibus, ut vitam & bona ſua reipublicæ impendant, perſuadere. Præſens bonum ſit, oportet, quod illos ad benefaciendum incitet & inflammet. Quæ longe abſunt, & vix poſt aliquot ſecula poſteris noſtris aut ſaltem nobis ſerio confectis obventura ſunt, animos ſegnius irritant. Et quid magis eſt iuſtitiæ regulis adverſum, quam actu bene merentes eſurire in præſens, ac, ut cum *Virgilio* loquar, ſpes inanes paſcere interim, dum liberi eorum, qui olim bene meruerunt inertes ſæpe & degeneres præmia ipſa conſequuntur, magis in deſidiæ ſuæ pabulum, quam rerum bene geſtarum mercedem. Præſtaret ſublatis exſpectantiis rem, non umbram, largiri bene merentibus. Et ſi nullum in præſens beneficium vacat,vacabit forſan propediem. Æquiore certe animo hoc exſpectabit vir cordatus, quam ſi exſpectantias in multa ſecula conceſſas novit, ſibique inter has ultimum locum pro præmio offerri videt.

XXIII.

Illud porro incommodum ex exſpectantiis oritur, quod pro vili & leviſſimo ſæpe officio immanis merces rependitur. Princeps enim, dum huiusmodi exſpectantiam

tiam dat, rem ipſam, quæ exſpectatur, non conſiderat, ſed ſpem illam rei futuræ incertam aut tamen longe remotam ob oculos habet, & in ea concedenda faciliimus eſt, & tunc demum, quum conditio impletur, ſed ſero animadvertit, quantum ſibi detraxerit. Nolo recentia exempla adferre, ſed memorabo vetus Leopoldi illuſtris, de quo Conradus de Wizenberg, abbas Mellicenſis, in brevi chronico de primis Auſtriæ marchionibus ad Leopoldum II. ſcripto hæc memoriæ prodidit. *Dum adhuc adoleſcens die quadam in venatione per avia ſecutus fuiſſet imperatorem, ſolum ſcilicet ſolus, & ille feram percuſſurus arcum fortius attrahens comminuiſſet: iuvenis arcum ſuum, ut erat contentus, manui cunctantis promptiſſime inſeruit: ſicque princeps, percuſſa fera, ſuper alacritate adoleſcentis delectatus ſub auctoritate regia promiſit ei terram, quam ſibi proxime vacare contigeret, ipſique competeret, atque pro memoria & confirmatione promiſſi, quia nullus interfuit, dedit ei arcum contritum. Non multo poſt tempore mortuo marchione Auſtriæ, quum multi procerum quisque pro ſe inſtarent imperatori, prorumpere in medium iuvenis cum atteſtatione fracti arcus regalis promisſionis petiit executionem. Cui princeps nihil moratus induſtriam ſuam commemorans auctoritate regia Marchiam traditam confirmavit.* Hauſi hæc ex *Hieronymi Pezii diſſertatione V.* quam ille *tomo I. ſcriptorum rerum Auſtriacarum* præfixit §. 18. Collatæ ſunt nonnunquam ampliſſimorum beneficiorum exſpectantiæ in eos, qui principis ſui gratiam non virtute, ſed lenocinando aliisve malis artibus meruerunt.

XXIV.

Sed interdum indigni plane & immeriti per exſpectantias præmia conſequuntur, & contra dignis idoneisque viris aditus ad honores, poſſeſſionem feudorum aut aliorum bonorum intercluditur. Hoſpes plane ſit in mundo oportet, ſi quis id negaverit. Conſideret is modo, ut ab exſpectativis feudalibus ordiar, feuda,quæ intra ſeculum proximum facta vacua novos poſſeſſores acceperunt. Pauca militibus, qui ſanguinem pro republica profuderunt, aut miniſtris, qui in ſervitio principis conſenuerunt, conceſſa ſunt. Pleraque præripuerunt exſpectativati, homines ſæpe improbi, otioſi, indocti, imbelles, qui precando, adſentando, mentiendo exſpectationes huiusmodi obtinere ſciverunt, vel qui in exſpectantias a parentibus bene meritis impetratas ipſi indigniſſimi ſucceſſerunt. De exſpectativis eccleſiaſticis nolo ipſe quidquam dicere, ſed verbis utar *Nicolai de Clemangiis*, pii cordatique theologi, qui in libro *de ruina eccleſiæ* apud *Hermannum von der Hardt in Conſtantienſi concilio*, doctiſſimo & pretioſiſſimis pietatis antiquæ monumentis referto libro, *tom. I. P. 3. cap. 7. Summi*, inquit, *Pontifices, ut regifico luxu ſuum, quemadmodum in votis habebant, ſupra omnes mortalium magnificentias ſtatum exaltarent, non ſolum ea egerunt, quæ de electionibus audiſtis, verum, ut aurei rivuli omni ex parte derivati ſuam uberius curiam irrigarent. omnibus dioeceſanis & patronis præſentandi facultatem, conferendique libertatem, quoquove alio modo de ſuis beneficiis diſponendi ademerunt, interdicentes illis ſub pœna anathematis, ne auſu temerario, ſic enim illo-*

illorum loquitur tritum iam frequentiori uſu reſcriptum, in quovis beneficio ſibi ſubiecto aliquem inſtituere præſumerent, quamdiu quis occurreret ex illis, quos ſua auctoritate beneficia illa exſpectare conceſſerant, qui illud adipiſci vellet. Quantus vero, Deus optime, exſpectantium numerus ex illo tempore, & qualium undique affluxit. atque ubi præſto fuit! Non tantum a ſtudiis aut ſchola, ſed ab aratro etiam & ſervilibus artibus ad parochias regendas ceteraque beneficia paſſim proficiſcebantur. Qui paulo plus latinæ linguæ quam arabicæ intelligerent. Imo qui & nihil legere, &, quod referre pudor, alpha vix noſſent a betha diſcernere. Ac morum in illis compoſitio hanc forte ignorantiam excuſabat. Imo ſi parum docti, negligentius aut intelligentius morati: utpote qui abſque litteris in otio educati, nihil niſi impudicitias, ludos, commeſſationes, iurgia, vaniloquia conſectentur. Inde omnibus in locis tot ſacerdotes improbi & miſeri atque ignari, qui ruinæ & ſcandalo ſua turpi converſatione ſubditi ſunt. Inde in ore vulgi tantus ſacerdotum contemptus, tanta vilipenſio. Inde totius ordinis eccleſiaſtici dedecus, ignominia, opprobrium & nimis erubeſcenda, ſi erubeſcerere ſcirent, confuſio. Sed frons multorum attrita erubeſcere non novit. Quia, ſicut eſt apud Prophetam, ſua confuſione non ſunt confuſi & erubeſcere neſcierunt. Olim in honore apud ſeculares ſacerdotium erat, & nihil venerabilius presbyterali ordine: Nunc vero nihil abiectius aut deſpicabilius. Exſpectantiis munerum & officiorum civilium nihil ab aliquot retro ſeculis frequentius eſt in Gallia. Pauca ibi ſunt officia publica, quorum exſpectationem, quam *ſurvivance* vocant, non impetrarint liberis ſuis

D 2 paren-

Digitized by Google

parentes. Eam exſpectationem mercantur pretio auctoritate publica conſtituto, quod Paulettam, *la Paulette*, adpellant a Carolo Pauleto, cameræ regiæ ſecretario, & primo eius reditus conductore. Damnant cordatiores Galli hoc inſtitutum, & varia, quæ ex illis oriuntur, mala graviter deſcribunt. In præſens duos ſaltem producam *Thuanum* & *Mezeræum*. Ille *lib.* 132. *hiſtor. ad annum MDCIV. extremo* ait, *anno Ronii marchione auctore perniciosiſsſimi inſtituti res invaluit, quo officia, quæ fere apud nos innumera ſunt, tam iudicialia, quam quæſtoria per omnia exæquata ſunt, & turpiſsima nundinatione æque propudioſe proſtare iuſſa, annua penſitatione, quæ a Pauleto nomen ſumpſit, iuxta taxationem de ſingulis factam impoſita, qua exſoluta, quadraginta dies conſtitutionibus regiis præfinitos exſpectare minime opus eſt, ut illa ad ſucceſſorem per cierationem tranſeant, ſed heredibus ſervantur, ut de iis tanquam de re patrimoniali atque hereditaria arbitrio ſuo ſtatuant. Quod non ſolum dictu fœdum, ſed eventu ſumme detrimentoſum regi & regno fuit, quod aperta ſemel ad pecuniam via nullus virtuti locus relinquitur. Sublatis autem virtutibus & virtutum præmiis, quem ſtatum reipublicæ futurum. Sed auctoritatis regiæ præcipuum in eo diſcrimen verſabatur, quæ beneficentia ſua per has nundinationes omnino exuitur, hoc eſt, primario maieſtatis ſuæ nervo privatur. Nam inde honores, dignitates & beneficia peti & a meritis ſperari oportet. Nunc quum homines ea pecunia parari vident, non ſolum regem ignorant, ſed opibus ſuis non meritis decus arrogant & neglecto virtutis ſtudio, quod ſuum non eſt, in patrimonio numerant. Inde impotens opum deſiderium & honeſta-*

Digitized by Google

neſtarum rerum contumax deſpectus. Mexeræus in hiſtoria Henrici IV. Pauletta, inquit, *venalitatem munerum publicorum neceſſario perpetuat, liberosque miniſtrorum indoctos, iniquos & ſuperbos reddit, ſecuros quippe de conſequendis aliquando parentum honoribus, viamque ad dignitates viris bene meritis & honeſto loco natis præcludit.* Adde, quæ de hoc argumento congeſſit *le Vaſſor dans l' hiſtoire de Louis XIII. tom.* 2. *liv.* 6. *pag.* 30. *ſuiv.* Sed & extra Galliam exſpectantiæ munerum publicorum, tametſi gratis tribuantur, eundem effectum habent, regulasque iuſtitiæ diſtributivæ, ut cum vulgo loquar, magnopere lædunt. Recte apud *Mylerum in Hyparchologia cap.* 30. §. 20. *n.* 5. Creſpi de Valdaura: *in hisce*, inquit, *futuris ſucceſſionibus non tam agitur de cauſa publica eccleſiæ aut reipublicæ, neque de concurſu magis digni, quam de privata utilitate illius, cui conceditur. Et difficile regulis iuſtitiæ diſtributivæ ſatisfieri poteſt, iuxta quas debent merita perſonæ tempore electionis & vacantis officii adcurate inſpici & examinari.*

XXV.

Id etiam inter exſpectantiarum mala non minimum eſt, quod per illas ſub-& obreptionibus via aperiatur. Scilicet hi, qui circa principem ſunt, quique *molles* eius *aditus mollisſima tempora fandi* norunt, ſæpe, dum ludunt, dum rident, dum iocantur, ſibi exſpectationem rerum graviſſimarum expetunt, & a principe plerumque, quid quantumve det, ignaro aut de futuris non admodum ſolicito, ſed tunc in voluptates ſaltem ſuas intento, facili negotio obtinent. Qui ipſi principem adi-

re nequeunt, cum leviſſimis ſæpe principis mancipiis aut aliis, quibus aditus patet, paciſcuntur, atque per hos exſpectantias conſequuntur. Referunt, Ludovicum XIV. Galliæ regem his fraudibus obnoxium ſæpe, dum lavaretur, veſtiretur, tonderetur, exſpectantiarum opimorum ſacerdotium, graviſſimorum munerum, quæſtuoſiſſimorum feudorum nec cogitantem ad importunas preces largitum eſſe. Ipſi imperatores *in L. 1. C. de Petitionibus bonorum ſublatis* conqueruntur, ſe plerumque ita inverecunda petentium inhiatione conſtringi, ut etiam non concedenda tribuant. Quod quam verum ſit & quotidianum, ii, qui in aulis principum verſantur, ſciunt.

XXVI.

Nonnunquam exſpectantiæ tunc, quum conceduntur, reipublicæ officere non videntur. At mutatur ſæpe medio tempore rerum facies, incipitque periculoſum eſſe, exſpectantiam impleri. Fac, regem quendam alicui ex regni proceribus, cuius modicæ tunc res erant, exſpectantiam in munus aut prædium ampliſſimum largiri. Fac, deinde potentiam exſpectativati vel liberorum eius in immenſum augeri, ipſique reipublicæ ſuſpectam reddi. Fac porro, in iſto rerum ſtatu munus promiſſum vel prædium vacuum fieri. An ſervanda erit exſpectativato fides & novis acceſſionibus eius potentia amplificanda? Perinde hoc eſt, ac ſi quæras, num gladium iugulo principis intentatum acui & hoſtem nunc occultum ſed mox erupturum in perniciem publicam armari iuvarique conveniat. Negabunt hoc cordati omnes: celebremque illum *Ciceronis in lib. 1. Offi-*

ciorum locum huc trahent : *Incidunt ſæpe tempora, ut promiſſum ſervare non ſit iuſtum. Referri enim decet ad fundamenta iuſtitiæ, primum, ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati ſerviatur. Ea quum tempora permutant, commutatur officium, & non ſemper eſt idem. Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt ea, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia, nec, ſi plus tibi noceant, quam illi proſint, cui promiſeris.* Omne certe pactum obligatorium eſſe deſinit, ſi facies rerum prorſus immutatur, quemadmodum recte contra Grotium, Pufendorffium & Zieglerum diſputat celeberrimus *Præſes in ſpecim. XL. de Pactis invalidis medit.* 4.

XXVII.

Facilius tolerari poteſt, quod princeps per exſpectantiarum conceſſionem ſibi ipſi manus ligat. Quamvis enim nec hoc reipublicæ ſalutare ſit, ipſi tamen concedenti nulla fit iniuria. At hæc fieret ſine dubio ſucceſſoribus eius, ſi illi ad ſervandas anteceſſorum ſuorum exſpectativas obligarentur. Nam princeps, qui exſpectantias ab anteceſſore tributas neceſſum habet ſervare, ex dimidia ſaltem parte princeps eſt, præſertim ſi exſpectantiarum iſtarum magnus eſt numerus. Neque enim integram & illibatam poteſtatem habet, qui miniſtros militesque non ex animi ſententia deligere poteſt ſibi, ſed cui illi ex alterius iudicio obtruduntur, & qui præmiis bene de ſe meritos adficere nequit. Id quod indignum profecto & reipublicæ perniciosiſſimum eſt.

Digitized by Google

XXVIII.

Intereſt magnopere reipublicæ, ne forum litibus perſtrepat, nec cives diſceptationum iudicialium frequentia & vexentur & opibus emungantur. Etſi ergo illis non adſentiam, qui forum plane tribulis conferendum & litigatoribus claudendum dicunt, ea tamen negotia, quæ infinitas lites gignunt, & quibus ſine incommodo carere poſſunt homines, boni publici cauſſa interdici debere puto. Et huc refero exſpectantias. Quam parum utilitatis illæ adferant, ex his, quæ ante dixi, iam ſatis conſtabit. Lites tamen frequentiſſimas & ſumptuoſiſſimas excitant. Inter centum exſpectativatos vix ac ne vix quidem duo ſpem ſuam conſequuntur, quos non ante diuturno iudicio contendere oportet. Et hi felices adhuc ſunt, ſi litigando ſumptusque faciendo aliquid adipiſcuntur. Plerique poſt magnam impenſam tædioſumque multorum annorum iurgium nihil accipiunt. In exſpectantiis feudalibus verum hoc eſſe, experientia quotidiana docet. De exſpectantiis vero eccleſiaſticis *Nicolaus Cuſanus* Cardinalis *de Concord. cath. l. 2. c. 40. propter gratias*, inquit, *exſpectativas & propter lites omnis ſudor etiam parentum per filios ad curiam Romanam defertur, & nihil reportatur, niſi quod prius in provincia habebatur, puta beneficiolum forte a propriis parentibus dotatum.* Omnium vero feſtiviſſime natio Germanica apud *Freberum tom. 2. Scriptorum rerum Germanicarum pag.* 373. in gravamine V. ad Cæſarem Maximilianum conqueritur. *Quod exſpectativæ gratiæ absque numero conceduntur, & multi interdum ad unum collatorem. Unde ſurgunt quotidianæ*

næ lites, & pecuniæ dilapidantur; tum illæ, quæ pro bullis gratiarum, quæ nunquam effectum ſortientur, expoſitæ ſunt; tum illæ, quæ pro litibus deducendis conſumuntur. Inde apud quoſdam ortum eſt proverbium; Quisquis gratiam exſpectativam ab urbe extraxerit; centum aut ducentos aureos nummos in ciſtam ſimul ad ipſam gratiam reponat, quibus ad proſequendam litem opus habebit.

XXIX.

Si nulla alia cauſſa exſpectantias diſſuaderet, hæc unica certe ſufficeret, quod per eas homines ignavi efficiuntur & a virtutibus bonarumque artium ſtudio avertuntur. Nam, qui certo ſcit, ſibi munus aliquod publicum obventurum eſſe, parum de eo promerendo eſt ſolicitus, ſed felicitatem ſuam ſecurus exſpectat. Vide *ſupra in* §. 24. querelam Mezeraei. Ceteri vero, qui per iſtiusmodi exſpectationes aliis datas aditum ſibi ad honores interclusum vident, torpere incipiunt, atque ipſi quoque exſpectantium ſocordiam meliore ratione imitantur. Idem in exſpectantiis feudalibus contingit. Feuda bellicæ maxime virtutis præmia eſſe oportebat. At qui in exſpectantiam patri ſuo olim datam ſuccedit, vitam ſuam telis hoſtium exponere opus non habet, ſed imbellis licet voti ſui compos tandem fit, cavetque potius, ne ſpem ſuam immatura & cruenta mors praevertat. Contra, qui ſibi præmia omnia ab exſpectativis prærepta, nihilque præter vile ſtipendium & atrum panem relictum, ac vitam perpetuo in ultimis ordinibus parce ac duriter tranſigendam vident, nec ipſi bene mereri volunt, dum, quid promereri poſſint, non vident.

XXX.

Non vanum eſt, quod Juſtinianus in *L.* 30. *C. de Pactis* pactiones de futura ſucceſſione plenas triſtiſſimi eventus adpellat. Triſte enim eſt & luctuoſum quin & iniurioſum illi, de cuius ſucceſſione agitur, de rebus ſuis ſe vivente alios paciſci, mortemque ſuam exſpectari. *Qui vitam*, inquit *Marius Cutellus* ad *L. Sicul. Martin. not.* 30. *fol.* 525. *agit, ſucceſſoris nominatione iniuria adficitur & per id temporis, quod ei ſupereſt, malo animo dominica miniſteria proſequitur, cum ferre non poſſit, mortem ſibi quodammodo præfiniri.* Idem eſt iudicium *Creſpi de Valdaura obſerv. deciſ.* 65. *n.* 11. Exſpectantiæ ergo, quae iſtiusmodi pactorum genus ſunt, non poſſunt non ſummo moerore adficere illum, qui exuvias ſuas, ſe vivo & incolume, diſtribui videt. Fuerunt, quos moeror hic conficeret, & quibus mortem præmaturam accelerarer. Accidit illis, quod Carolo II. Hiſpaniarum regi, qui, quod de ſucceſſione in regna ſua ſe ignaro & invito conventiones ab aliis initas audiret, dolore luctuque contabuit, forte per aliquot adhuc annos ſuperſtes futurus, ni iniuria haec animum eius excruciaſſet. Scribit hoc aperte *de la torre dans les Memoires & negotiations ſecrettes de diverſes cours de l' Europe tom.* 1. *p.* 348. *Le Roi etoit tombé dans une profonde melancolie, & ſa ſanté s' alteroit tous les iours, depuis la nouvelle, qu' il avoit recüe de la concluſion d'un ſecond Traité de Partage. Il envoya un ordre exprés au Duc de Vzeda ſon Ambaſſadeur a Rome, d' expoſer à S. S. l' embarras & le chagrin, où il etoit de voir, que des Etrangers, qui n' avoient aucun droit ſur ſes Royaumes,*

vou-

vouluſſent les partager, par un Traité auſſi iniuſte, qu' iniurieux, & l' obliger à diſpoſer de ſa ſucceſſion, non pas ſelon les regles de la iuſtice, mais ſelon leur interot, & clarius in *tom. 2. p. 95. Le memoire, que Monſieur de Blecourt preſenta à ſa Maieſté, & ceux des deux Puiſſances Maritimes, le plongerent dans une ſi profonde Melancolie, qu' il n' enrevint iamais.*

XXXI.

Evicimus, ut puto, ſatis, exſpectantias reipublicæ pernicioſas eſſe, malaque plurima ſecum trahere. Quibus præſtructis, concluſiones nunc formabimus, ex quibus controverſiæ circa exſpectantias obvenientes ſunt decidendæ.

XXXII.

Prima ex his concluſionibus erit: illis, qui maieſtatem aut ſuperioritatem territorialem non habent, exſpectantias cum qualicunque reipublicæ diſpendio dare plane non eſt permiſſum. Itaque ſi quis privatus ius conferendi munera & officia publica tam ſacra quam civilia habet, is exſpectationem eorum concedere nemini poteſt, quum hoc leges ipſæ vetent, quemadmodum infra copioſius oſtendam. Exſpectantiæ vero feudales, quæ in 2. *f.* 26. §. 2. permittuntur, ſiquidem rempublicam non tangunt, ſed privatorum ſaltem bonorum ſpem in alterum transferunt, prohibitæ non cenſentur, valentque adeo tenuam alia privatorum pacta. At ſi bonum publicum in his quocunque modo intervenit, aliud dicendum eſt. Fac ergo, civitati dominium directum in feudum aliquod competere. Poteritne vel ipſa vel

ſenatus eius exſpectationem illius largiri ? Non puto. Decreta enim eiusmodi exſpectativa ad ambitioſa referri debent, quæ in *L. 4. de Decret. ab ord. fac.* damnantur.

XXXIII.

Quæ in præcedente §. dixi, mirifice illuſtrabit reſponſum a JCtis Helmſtadienſibus menſe Maio MDCCXXII exaratum, quod mihi ab excellentiſſimo Præſide meo benigniſſime ſuppeditatum hic inſeram. Hat Iſaac Meyer der Jüngere von den deputirten der Land-Stände des Hoch-Stiffts zu Osnabrück im Jahr 1700. die exſpectanz auf die damahlen von ſeinem Vater beſeſſene Conſiſtorial-Rath und Hoff-Gerichts-Adſeſſor Stelle auch folgends im Jahr 1701. von des Herrn Biſchoffs Hoch-Fürſtl. Durchl. die würckliche Einführung in beyde Collegia noch bey Lebzeiten des Vaters/ iedoch unter dem Beding/ daß er bey Anweſenheit des Vaters ſich nicht einfinden ſelle/ erhalten/ aber nachgehends im Jahr 1713. bey Annehmung der Bürgermeiſter-Stelle zu Osnabrück obgedachte beyde mit dem Burgermeiſter-Amt incompatible Bedienungen niederleget/ da denn der Vater mit Bewilligung der Land-Stände wieder an des Sohns Stelle getreten/ und die beyde Dienſte behalten. Als nun dieſer vor einigen Wochen Todes verblichen/ ſo will der Sohn das Bürgermeiſter-Amt niederlegen/ und Krafft der ihm ehemahls ertheilten exſpectanz dem Vater im Conſiſtorio und Hoff-Gerichte ſuccediren. Entſtehet demnach die Frage/ ob dieſer des Iſaac Meyers prætenſion ungeachtet die deputirten der Ritterſchafft und Städte zu einer anderweiten præſentation ſchreiten können. Dieſe Frage nun müſſen wir billig mit Ja beant-

worten

worten und zwar aus doppelten Urſachen. Erſtlich halten wir dafür / die ietzige deputati der Land-Stände ſeyn an dieienige exſpectanz, welche ihre Vorfahren im Jahr 1700. ertheilet / gar nicht gebunden. Wenn man die Sache genau anſiehet / ſo ſeynd dergleichen exſpectanzen gantz verbothen. Das Jus Canonicum verordnet ſolches klar in *c.* 2. *&* 13. *X. de conceſſione præbendæ* und in *cap.* 2. *de conceſſ. præbendæ in* 6. Und das *Concilium Tridentinum ſeſſione* 24. *de Reformat. cap.* 19. erſtrecket dieſes Verboth auch auf gantze Collegia, univerſitates & ſenatus. Man mögte zwar dagegen eingewendet werden / dieſe iura handelten nur von geiſtlichen beneficiis und dignitatibus. Allein es hat *Zieglerus in Dicaſtice concluſ.* 6. §. 3. *&* 4. ſchon längſten gezeiget / daß dieſelbe ob identitatem rationis auch auf civil Bedienungen gehen / und das gleichfals darinnen exſpectativas zu ertheilen dem ienigen / der die iura maieſtatica nicht hat / ſondern an die Geſetze gebunden iſt / nicht vergönnet ſey / zu geſchweigen / daß die Conſiſtorial-Rath-Stelle nicht einmahl eigentlich ein weltliches officium, ſondern vielmehr eine dignitas eccleſiaſtica iſt. Doch geſetzt allenfalls / es wären dergleichen exſpectanzen in genere nicht verbothen / ſo ſeynd gleichwol die deputirte vom Jahr 1700. nicht berechtiget geweſen / mit Abweichung von der ihnen im Conſiſtorial-Receſs und dem Land-Tages Abſchied vorgeſchriebenen Form durch irregulaire Ertheilung einer exſpectanz ihren Nachfolgern zu præiudiciren und gleichſam die Hände zu binden. Es gibt ia die natürliche Vernunfft / daß niemand eine exſpectanz ertheilen könne / welchem nicht die freye diſpoſition über die Sache ſelbſt zuſtehet. *Strykius in diſſert. de Exſpectantiis c.* 2. *n.* 22.

Nun wird wohl niemand ſagen/ daß die Deputirte des Jahrs 1700. die Diſpoſition über ein erſt 22. Jahr hernach bey ihrer Nachfolger Zeit zu erledigendes Amt zugeſtanden/weil ſonſten/ wenn man einem Collegio dieſe Macht einräumete/ den Nachfolgern alle Gelegenheit tüchtige Beamte auszuſuchen/ zu ſetzen/ oder zu præſentiren abgeſchnitten würde.

XXXIV.

Principi, qui ſupra leges eſt, poteſtas exſpectantias tribuendi adimi non poteſt. Quin etiam hæc illi iure meritoque relinquitur. Nec obſtat, quod illas ſaluti publicæ adverſas eſſe ſupra dixi. Eadem enim exſpectantiarum, quæ venenorum, eſt ratio. Venenorum nempe, quibus vitæ hominum in diſcrimen vocantur, commercium privatis aliis interdicitur, medicis vero, qui ea prudenter miſcere, temperare & in ſalutares uſus convertere norunt, relinquitur. Sic & princeps reipublicæ noxias, ſi iuſto ac neceſſitati utilitatique publicæ conveniente tempore moderate adhibeat, bonas ac utiles efficere poteſt.

XXXV.

Invitus tamen princeps ad exſpectativas concedendas nunquam obligatur, tametſi eam non is ſolum, qui ſuccedere cupit, ſed & alter, de cuius ſpoliis agitur, flagitet. Neque enim hi conſenſu ſuo beneficium, quod ex arbitrio concedentis pendere debet, poſſunt extorquere. Memorat *Pufendorffius Rerum Brandenb. l. 9. §. 30. 31.* legatum Suecicum in aula caeſaris anno 1661. enixe petiiſſe, ut cæſar pacta Stetini inter Suecos & Bran-

Brandenburgicos inita, quibus ſucceſſio in novam Marchiam, diſtrictum Sternbergenſem ac Vierradam & Loecknizam Sueciæ regno deferebatur, confirmaret, atque adeo exſpectantiam in iſtas terras concederet, ſed renuiſſe conſtanter cæſarem, nec pacto illo ſe moveri paſſum eſſe.

XXXVI.

Principis ſucceſſor ad ſervandas, quas deceſſor dedit, exſpectantias non obſtringitur, quocunque demum, ſive electionis, ſive agnationis, ſive hereditatis, ſive ceſſionis titulo ſuccedat. Faciunt quidem plerique diſcrimen inter principatus & regna patrimonialia & non patrimonialia, nec non inter ſucceſſorem univerſalem & ſingularem, dicuntque in regnis patrimonialibus ſucceſſorem univerſalem ex omnibus deceſſoris ſui promiſſionibus atque adeo ex exſpectantiis quoque obligari. Verum tota iſta de regnis patrimonialibus doctrina fluit ex impio *Hobbeſii* dogmate, qui in libris de *Cive* & *Leviathane* abſolutam principi in cives ſuos poteſtatem non aliter, ac ſi ſervorum Romanorum inſtar in patrimonio eius exiſterent, tribuit, & regem, niſi iure in ſubiectos pro lubitu ſtatuendi fruatur pleniſſimo, non regem, ſed primarium reipublicæ adminiſtrum eſſe dicit. Impium, inquam, hoc principium &, quæ exinde deducitur, de regnis patrimonialibus doctrinam olim ubivis fere receptam non diu eſt, quod explodere ceperunt JCti cordatiores, *Cocceius*, *Thomaſius*, *Beyerus*, &, qui illuſtre hoc argumentum eruditiſſimo ſuo ſcripto *de Obligatione ſucceſſoris in principatus & clientelas S. R. J. ex facto deceſſoris*, quod inter eius *opuſcula miſcella* anno 1720. Halæ Magd. in lucem emiſſa *tom.* I. *p.* 539. reperies,

periès, exhauſit, incomparabilis *Ludwigius cap.* 1. §. 3. *&* 7. Non dubito igitur, principi ſucceſſori facultatem exſpectantias a deceſſore datas revocandi ſimpliciter indulgere. Unicum huius ſententiæ meæ fundamentum eſt publica ſalus, cui exſpectantias contrariari ſat oſtendi. Nam in aliis negotiis probo æquiſſimum *Puſendorfii* iudicium, qui *l.* 8. *c.* 10. §. 8. *de Jure naturæ & gentium* principem, ait, ex facto & promiſſo deceſſoris omnino obligari, uti etiam rempublicam, ſi forte extincta regali ſtirpe ſummam rerum illa recipiat, niſi facta manifeſte fuerint abſurda aut iniqua. Diſſentit quidem a Puſendorffio illuſtris *Ludwigius l. c.* §. 4. & rem peſſimi dicit eſſe exempli, ſi civitati principum facta ſub cenſuram mittendi, conſulta ſint reipublicæ nec ne, daretur facultas. Verum ego nihil abſurdi hic animadverto, quando vel ipſa civitas recuperato, quo ſe olim abdicavit, imperio, vel novum caput, quod ſibi præficit, deceſſoris facta atque promiſſa, proficiantne reipublicæ annon, examinat. Regimen enim ideo ſucceſſori defertur, ut omnia dirigat ad communem utilitatem, ut tueatur populum, non perdat. Poteſt ergo deceſſoris ſui promiſſiones publicæ utilitati nocituras, quales ſunt exſpectantiæ, revocare. Nec obſtat, quod Vir illuſtris ibidem dicit, non omnibus regnis eandem dari poſſe menſuram. Certe hac in parte utique poſſe, non abs re dixerim. Nulla enim gens eſt, quæ non velit, ut ſibi non ſit bene, ut res ſua publica floreat. Ergo ſi imperium in perſonam aliquam transfert, nullam aliam ob cauſſam hoc fit, quam, ut imperans hoc ipſum exſequatur. Mandata itaque principi eſt, quicquid commodo publico contrariatur, abolendi poteſtas, ergo & exſpectan-

Digitized by Google

ctantias. Neque Romanorum de obligatione principis ex facto deceſſoris leges, e. g. *L. 2. C. de quadriennii præſcript. L. 4. C. de LL. & conſt. L. ult. C. de locat. prædior. civil. L. 1. C. de fund. rei priv. & div. domus L. 6. C. de fundis patrim.* ſententiæ meæ nocent. Nam & iſtæ, facta deceſſoris cum ſalute publica non pugnare, præſupponunt. At exſpectantiæ cum ea pugnant. Et de exſpectantiis quidem officiorum publicorum, quod has ſucceſſor revocare poſſit, res fere indubia eſt, quum idem arbitrium officia pro lubitu conferendi habeat ſucceſſor, quod habuit defunctus, ut bene ait *Böhmerus in Jure publ. univ. P. Spec. lib. 2. cap. 6. §. 20.* Sed & idem de exſpectantiis feudalibus dicendum. Succeſſorem ex iis obligari iam maiores noſtri Germani veteres noluerunt, regulamque, **am Geding iſt keine Folge/** ſtabiliverunt **in dem Sächſiſchen Lehn-Recht** *c. s.* 11. 26. 57. 59. Quam regulam *Colerus deciſ.* 88. hodie paſſim a principibus obſervari ait. Addit quidem *Colerus n.* 30. tunc, quum deceſſor pro ſe & ſuis heredibus exſpectativam dedit, ſucceſſorem obligari. At ego nec hoc caſu illum obſtrictum puto. Ineſt illa formula omni pacto & promiſſioni tacite. Sed eius vis tanta non eſt, ut ſucceſſori omne ius ſuum adimere & aliquid ſaluti publicæ contrarium adverſus leges obtrudere queat. Nec exempla extera deſunt. Nullus certe princeps magis ad deceſſoris ſui facta rata habenda obſtrictus fuit, quam Carolus Guſtavus Sueciæ rex Chriſtinæ Reginæ. Debebat huic ſponte cedenti regnum; nec diſſimulabat, ſed publice fatebatur, dum in nummis ſuis coronam atque hæc verba: A DEO ET CHRISTINA; inſculpi iubebat. Exſpectationes tamen omnes a Chriſtina datas abolevit, teſte

 Puſen-

Puſendorffio de Rebus a Carolo Guſtavo geſtis lib. 2. §. 8. Optime *Beyerus de Obligatione ſucceſſoris illuſtris* §. 42. Quod ad exſpectantiam, ait, ſive in munus & officium publicum, ſive in feuda aliave bona a principe conceſſam attinet, eam in dubio vim ſuam ad ſucceſſores non extendere arbitror. Non ignorat imperans, morte imperium deſinere, & ſucceſſoris libertatem miniſtris, quibus libuerit, utendi, item beneficia, in quos placuerit, conferendi, imminui non debere. Alias maxima pars actuum imperium ſucceſſori præripi, & vel omnia feuda, omnia reipublicæ munera ita exſpectantiis obrui poſſent, ne vel quicquam conferendi poteſtas ſucceſſori relinqueretur.

XXXVII.

Sed longius etiam progrediendum, atque ipſi principi, qui exſpectativas conceſſit, facultas eas revocandi tribuenda eſt. Qua de re quum dubitarint plurimi magni nominis JCti, eorum fundamenta paucis recenſere & refellere liceat.

XXXVIII.

Provocant ergo 1) ad dignitatem principis & ad *cap. decet* 16. *de R. J. in* 6. ibi: *decet conceſſum a principe beneficium eſſe manſurum*, cum quo cap. Romanorum LL. ex aſſe convenire videntur. Memorant hunc in finem *L. poſt mortem* 25. *de Adopt. L. ſicut* 5. *de Adopt. L. ſicut* 5. *C. de Act. & obl.* &c. quibus ſaluberrima hæc prohibitio, ne quis factum proprium tanquam nullum audeat impugnare, ſi non expreſſe, implicite contineatur. Quam eo maiori attentione obſervandam eſſe aiunt a prin-

a principe, quo fortiorem principum facta producere obligationem illis dicuntur. Multa enim eſſe contendunt, quæ privatum minime obligent, ſtringant tamen principem. Huc referunt cum *Weſenbecio conſ. 2. n. 60.* & *Mylero in Nomol. c. 2. n. 2.* pacta principum nuda, quæ, etſi privatum actionem minime pariant, pariant eam tamen contra principem. Nituntur porro 2) adverſarii in natura & obligatione conventionum, atque ex *L. 1. de Pact.* & *L. 3. de Pollicit.* oſtendunt, omnem promiſſionem ſerio factam & ab altero acceptatam pactum eſſe, hoc autem ſervandum eſſe ſub pœna excommunicationis *cap. 1. X. de Pact.* & mortale committere peccatum, qui promiſſum non ſervet. Imo verba *L. 7. §. prætor. de Pact. pacta conventa ſervabo*; procedere ab ore Dei, adeo etiam Deum obligari pacto & diabolum & principem, & nullam maiorem iuſtitiam eſſe quam pacta ſervare, ait *Nevizanus* inter *conſilia Bruni conſ. 12. n. 23.* Vide DD. adlegatos a *Mylero in Hyparcbologia c. 3. §. 24.* & *Mevium conſ. 53. n. 81.* Urgent deinde 3) commune illud iuris præceptum, quod ſuum cuique tribuendum ſit. Et tandem 4) dicunt, exſpectantia impetrata rem deſinere eſſe integram, ſiquidem per acceptationem exſpectantiæ exſpectativario ius adquiratur ad rem, quod nemini abſque facto ſuo ſit auferendum.

XXXIX.

Ad hæc argumenta iam diu ante me reſponderunt alii, principique poteſtatem exſpectantias revocandi vindicarunt. Quorum rationes collegit propoſuitque copioſe ſatis *Mylerus ab Ehrenbach in Hyparchol. c. 3. §. 27. ſqq.* Sunt illa ex natura pœnitentiæ, revocabilitatis,

con-

Digitized by Google

conceſſionis conditionalis, ſimplicis & nudæ gratiæ, precarii, & ipſa denique officiorum collatorum indole deſumptæ, ſed, ne quid diſſimilem, infirmiſſimæ, ut eas merito *Böhmerus in Introd. in Jus publ. univ. l.* 2. *c.* 6. §. 19. *lit.* k. *&* *l.* valde inadæquatas appellet, quas nec referre nec examinare ſit operæ pretium. Nec ego igitur eas expendere ne dum rationibus adverſariorum opponere volo.

XL.

Aliam itaque rationem adfert *Böhmerus in Introd. in Jus publ. univerſ. loco memorato*, atque ad diſtinctionem vulgarem inter promiſſiones perfectas & imperfectas a *Pufendorffio de officio hom. & civ. c.* 9. §. 6. explicatam provocat, & non pactum ſed promiſſionem talem imperfectam inter principem & eum, qui exſpectare iubetur, intercedere ait. Sed an diſtinctio iſta huc trahi poſſit, dubito vehementer. Dari quidem promisſiones imperfectas, quibus quis voluntatem ſuam de re aliqua alteri præſtanda determinat, ſimul tamen, ſe ei ius ad rem hanc exigendam competere nolle declarat, ſcio probe. Novi etiam, declarationem huiusmodi ſæpe tacite & ex negotii natura promiſſioni ineſſe. Exemplis clariſſimis hoc oſtenderunt *Pufendorfius de Jure nat. & gent. lib.* 6. *c.* 5. §. 6. & celeberimus *Præſes meus in ſpecim. ad D. XL. de Pactis invalidis medit.* 2. Verum enim vero iſtiusmodi reſtrictio irregularis eſt maxime, & promiſſionum naturæ adverſatur, adeoque non præſumitur, ſed probanda eſt clare. Nam quod *Böhmerus* ait: *Quæ negotia ita ſunt comparata, ut unice precibus a ſuperiore expetenda & gratiæ eiusdem accepta*

pta ferenda ſint, in iis nullo modo ſe adſtringere perfecte voluiſſe videtur; nobis non ſatisfacit. Ea etiam, quæ precibus impetrantur, quæ ex gratia proficiſcuntur, poſtquam ſemel promiſſa fuerunt, ſervanda ſunt, quemadmodum hoc ex donationis, commodati, mandati exemplis apparet. Nota eſt regula: Quæ ab initio ſunt voluntatis, ex poſtfacto fiunt neceſſitatis. Accedit, quod ſæpe & plerumque exſpectativæ verbis maxime obligatoriis concipiuntur.

XLI.

Refelli vero poſſunt commode cuncta, quæ ab adverſariis afferuntur, argumenta, ſi ad ſalutem publicam tanquam ad lydium lapidem reducantur. Hæc enim ſuprema lex eſt, cui ceteræ omnes cedunt. Chari ſunt liberi, parentes, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates ſalus publica vincit. Hæc efficit, ut pacta etiam iureiurando firmata reſcindere & infringere non privatis ſolum, ſed principi quoque liceat. Vide *c.* 33. *X. de Jureiurando.*

XLII.

Nec ſine lege loquor. Provoco ad *L.* 1. *&* 2. *de Petitionibus bonorum ſublatis.* In his ita imperatores: *Quisquis in crimine maieſtatis deprehenſus fuerit & punitus, bonaque eius, ſicut plectendi conſuetudo criminis habet, fiſcus invaſerit, & ſi inteſtatus quisquam quædamve, ac nullis ex numero propinquorum exiſtentibus, vel uxore vel marito, fati munus impleverit, cuiuscunque ſit conditionis aut ſectæ, ſeu quolibet titulo res fuerit fiſcalis; nullus eadem bona ſub ſpecie munificen-*

tiæ principalis audeat proprio iure poſcere, nemo audeat ad petitionem rerum defuncti defunctæve, cuiuscunque fortunæ aut ſectæ ſit, ſi fiſco noſtro locus pateat, adſpirare. Qui contra legem id auſus fuerit ſperare, quod non licet, reus violatæ legis habeatur. Sed quoniam plerumque ita in nonnullis cauſſis inverecunda petentium inhiatione conſtringimur, ut etiam non concedenda tribuamus; nec reſcripto quidem noſtro adverſus formam latæ legis loci aliquid relinquatur, ſcilicet nec pragmatica iuſſione vel ſacra adnotatione, vel quolibet oraculo divino, ſeu mandatis, ſi qua contra hanc ſanctionem noſtram fuerint impetrata, quippiam roboris habere valituris. Equidem hæ leges de bonis iam vacantibus & fiſco delatis, non de vacaturis agunt, adeoque ad exſpectantias trahi poſſe non videbuntur. Sed iam diu ante nos *Mornacius ad tit. C. Ne fiſcus vel respublica procurationem* iſtas leges ad donationes beneficii aut officii & confiſcationis, quæcunque illa ſit, antequam ſit eorum vacatio vel declaratio, extendit, in variis regum Galliæ edictis & ſenatus Pariſienſis ſententia innixus. Ex noſtris *Wildvogelius*, JCtus Jenenſis in diſſert. quam *ad tit. C. de Petitionibus bonorum ſublatis* ſcripſit §. 20. *Referuntur*, inquit, *inter bona talia non ſolum ea, quæ iam ſunt incorporata & occupata a fiſco, ſed etiam ea, quæ modo delata, aut ſpei caducitatis proxima. Quorum idcirco & exſpectantias petere prohibitum. Quia quod interdictum eſt in termino, idem in via cenſetur prohibitum. Quamvis enim hoc caſu incertus mortalitatis eventus & ſpes, ſimulque conditio ſubeſſe videatur; tamen ſufficit, ipſam exſpectantiam fieri in caſum aperturæ, & eo quidem tempore convaleſcere, ubi ius reipublicæ*

blicæ iam quæſitum, quod eo ipſo eluditur. Vera hæc eſſe, dubitabit nemo, qui modo verba iſta *Legis 2. C. de Petitionibus bonorum ſublatis* recte conſiderabit: *Omne ſemen alienas appetendi fortunas ſtirpitus eruere cupientes, nulli deinceps volumus petitionis rerum eſſe licentiam.* Quæ verba profecto exſpectantiis magis quam petitionibus bonorum iam vacantium conveniunt. Adde altera illa eiusdem legis: *res civiles & ad ius publicum pertinentes ab omni petitione muniendas eſſe cenſemus.*

XLIII.

Antequam hinc digredior, occurrendum adhuc eſt illis, qui forſan a maiore ad minus contra nos argumentabuntur. Dicent hi: poſſe principem munera & beneficia vacantia tribuere, poſſe etiam bona fiſci, niſi legibus, quas vocant, fundamentalibus ſeu pacto cum ordinibus inito impediatur, donare, atque iſtiusmodi liberalitatem, ſi ſponte exerceatur, revocabilem non eſſe *L. 1. C. de Petit. bonor. ſublat.* Maius hoc eſt ſine dubio, quam ſpem ſaltem & exſpectationem dare. Ibi enim, quod reipublicæ iam eſt, hic, quod eius aliquando futurum ſaltim creditur, datur. Eadem hic reſponſione utar, qua Ulpianus in *L. 4. §. 1. ad SCtum Velleianum* utitur, quum idem ipſi argumentum contra SCtum Velleianum opponeretur. *Facilius*, inquit, *ſe mulier obligat, quam alicui donat.* Non eſt ſcilicet adeo metuendum, ut princeps immodicis donationibus & ſuum & reipublicæ patrimonium exhauriat, aut ut munera & beneficia vacantia in indignos conferat. Circumſpectior tunc eſt plerumque, & cavet ipſe, ne egeat, aut male ſibi

Digitized by Google

ſibi ab inhabilibus ſerviatur. At quum ex futuris quid petitur, facilior eſt princeps, nec de ſuo ſibi donare ſed magis ſucceſſorum ſuorum bona ſibi largiri videtur, nec tam accurate pretium rei, aut quantopere ſua & reipublicæ interſit, conſiderat de præſente potiſſimum ſollicitus. Huic igitur facilitati in perniciem reipublicæ erupturæ occurrendum eſt.

XLIV.

Sed num princeps, qui exſpectativam datam revocat, ad evictionem præſtandam obligabitur? Aiunt communiter & provocant ad 2. *f.* 7. §. 1. & 2. *f.* 8. *pr.* At neuter ex his textibus huc pertinet. Neuter de exſpectativis agit. Utrobique inveſtituræ de re tanquam vacua factæ ſit mentio, dominusque ſi differat inveſtitum in vacuam poſſeſſionem mittere, vel eam, quod alius in illa ſit, dare nequeat, omnem utilitatem præſtare iubetur. Quinimo in 2. *f.* 8. *pr.* contrarium potius habetur, eum ſcilicet, qui ſciens alienæ rei inveſtituram ſive a ſciente ſive ignorante domino accepit, evictionis præſtationem poſtulare non poſſe. Igitur hic textus negantem ſententiam ſtabiliet; ad quam confirmandam aliæ etiam rationes ſuppetunt. Pleræque nempe exſpectativæ gratis & ex liberalitate conceduntur. In donationibus vero & ceteris liberalitatis actibus evictio non præſtatur. *L.* 18. §. *ult. de Donat. L.* 2. *C. de Evict.* Recte *Titius* **im teutſchen Lehn-Recht** *c.* 7. §. 23. *ſqq.* & *c.* 9. §. 46. *ſqq.* contra communem DD. ſententiam oſtendit, dominum nec ad feudi conſtituti evictionem præſtandam obligari, ſi vaſallus id feudum titulo lucrativo olim accepit. Itaque nec in exſpectativa obligabitur. Paratus nempe

Digitized by Google

nempe eſt promiſſa ſua implere. Sed intercedit quodammodo reſpublica & ſalute ſua hoc impedit. Nulla ergo eſt penes principem culpa, aut, ſi quæ eſt, maior tamen pene exſpectativatum eſt, qui illicita flagitavit, & precibus extorſit. Hic ergo de fide rupta queri non poteſt. Obiicietur forſan, principem in pactis non tanquam principem ſed tanquam privatum conſiderari. Et verum hoc eſt, quum ex patrimonio ſuo privato largitur aut promittit. At quum de re, quæ reipublicæ eſt, paciſcitur, nequit ipſe, qui caput reipublicæ eſt, tanquam privatus conſiderari.

XLV.

Poſſunt tamen caſus emergere, quibus exſpectantiæ iuſtiſſimæ ſunt. Ipſa nempe neceſſitas vel utilitas publica earum conceſſionem urget ſuadetque. Dicam primum de neceſſitate, cuius luculentiſſima exempla extant in tabulis Pacis Osnabrugenſis. Funeſtiſſimi, quod Germaniam per 30. annos vaſtaverat, & vicina quoque regna adflixerat, belli exitum cupiebant anxie omnes. Convenerant iam diu legati ex toto fere terrarum orbe & aliquot annos deliberando atque altercando conſumpſerant. Sed exigua admodum ſpes negotii feliciter conficiendi adfulgebat. Obſtabat maxime publicis commodis utilitas ſingulorum, qui vel præmia exantlatorum laborum & periculorum vel reſtitutionem damnorum acceptorum flagitabant, nec, ut remitterent ius ſuum, moveri poterant, ſed æternum potius bellum minitabantur. Quomodo his ſatisfieri deberet, non apparebat. Pecunia non ſuppetebat, exhauſtis cunctis provinciis. Terræ & prædia, quæ cedi potuiſſent, pleraque

Digitized by Google

que ab aliis poſſidebantur, neque his adimi facile aut ſine iniuſtitia poterant. Tandem hoc remedium inventum eſt, ut his, quibus alio modo ſatisfieri non poterat, exſpectantiæ tribuerentur. Sic in *art.* 13. domui ducali Brunſvicenſi & Luneburgenſi in epiſcopatum Oſnabrugenſem, quem tunc Franciſcus Wilhelmus epiſcopus tenebat, exſpectativa datur, &, ut de cauſa neceſſaria conſtet, additur: cæſarem conſenſiſſe tandem, quod præſenti ſacri Romani imperii ſtatui minime expedire iudicaret, pacem publicam propterea diutius impediri. Porro ex eadem cauſſa in *art.* 11. §. 6. exſpectantia in archiepiſcopatum Magdeburgenſem electori Brandenburgico, in *art.* 10. §. 4. exſpectantia in pomerariam ulteriorem regi Sueciæ datur. Has igitur exſpectantias, quas neceſſitas publica extorſit, revocare nec principi concedenti, nec ſucceſſori eius licet.

XLVI.

Eadem neceſſitas occurrit in illo exſpectantiarum genere, quod coadiutorias vulgo appellamus. Sæpe ſcilicet is, qui munus ſive ſacrum ſive civile gerit, ob ſenectutem, morbum aut aliam cauſſam muneris eius partes implere nequit. Deiici illum plane de loco ſuo & emolumentis omnibus privari aliumque ſurrogari, durum eſt & luctuoſum. Æquius longe, ut quis ei ſubſtituatur vel adiungatur, qui munus iſtud vel gratis vel exiguo præmio contentus adminiſtret. Et reperiuntur, qui ſponte ſe ad hoc offerunt, ſola ſuccedendi ſpe contenti. Hic profecto ſalus ipſa & neceſſitas reipublicæ, ut adiuncto huic exſpectativa detur, poſcit. Neque enim facile ſine illa vir bonus & idoneus tantum onus ſubi-

ſubibit. Conceduntur igitur communiter huiusmodi exſpectativæ coadiutoribus. Has non ſervari improbiſſimum foret, fidemque publicam læderet. Vide *c. 5. X. de Clerico ægrot. vel debilit.* & *c. un. de Clerico ægrot. in* 6. item *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 7. Et ut verum dicam, in coadiutoriis cum ſpe ſuccedendi coniunctis non tam exſpectativa conceditur, quam munus quodammodo vacuum confertur. Negandum tamen non eſt, per iſtiusmodi coadiutorias ſæpe fraudem fieri legi, easque interdum, ubi neceſſitas nulla ſubeſt, concedi. *Ceſſarunt*, inquit, *M. Antonius de Dominis de Republ. eccleſ. lib.* 9. *cap.* 8. §. 26. *gratiæ exſpectativarum nominetenus. Nam earum loco ſucceſſerunt coadiutoriæ ſive cauſſa cum futura ſucceſſione; quæ ſunt ipſiſſimæ gratiæ exſpectativarum.* Huiusmodi coadiutoriarum patrocinium non ſuſcipio, ſed easdem pariter cum aliis exſpectantiis damno.

XLVII.

Quæ neceſſitatis, ea quoque utilitatis publicæ eſt ratio. Poſcit hæc interdum, ut boni forteſque viri ad bene merendum ſpe præmiorum excitentur, vel etiam, ſi iam bene meruerunt, mercedem accipiant. Si conſuli illis alia ratione poteſt, ad exſpectantias deveniri non debet. Aliquando autem nihil eſt in reipublicæ patrimonio, ex quo illis ſatisfiat. Tunc vero neceſſitatis quoque erit, exſpectantias concedi, conceſſasque ſervari, ne homines defectu præmiorum a reipublicæ ſervitio abſtrahantur, aut, dum vident, alios benemeritos ſpe ſua fruſtrari, eiusdem ingratitudinis metu abſterreantur. Quare etiam *in Capitul. Caroli VI. art.* II. exſpe-

ſtantiæ quidem in feuda imperii prohibentur, ſimul tamen hæc verba adiiciuntur: Denen von unſern Vorfahren am Reich denen Ständen propter benemerita ertheillten und denen Reichs-Conſtitutionibus gemäſſen Anwartungen auf künfftig ſich erledigende Reichs-Lehn an ihrer Krafft und Bündligkeit unſchädlich.

XLVIII.

Iterum tamen moneo, utilitatem publicam, quæ exſpectantias ſuſtineat, manifeſtam eſſe debere. Mentio benemeritorum ſingularium in omnibus conceſſionibus & beneficiis, etſi in indigniſſimos conferantur, fit. Ergo nec in exſpectativis ea omitti ſolet. Ita vero facili negotio omnia, quæ de iniquitate exſpectantiarum ante dixi, eludentur, omneſque exſpectativati, improbiſſimi licet, ſpe ſua potientur. Quod ne fiat, requiro acerrimum formulæ eius *ob benemerita* examen, nec effectum illi ullum tribuo, niſi certiſſime conſtet, vere eum, cui exſpectatio data eſt, & ſingulariter reipublicæ profuiſſe, nec alia præmia accepiſſe, nec accipere potuiſſe. Ni hæc concurrant, exſpectantia vana erit. Fruſtra ergo hi ad utilitatem publicam & merita ſua provocabunt, qui ſolitis officiis gratiam principis meruerunt, & ſtipendia annua pro iis, quas præſtiterunt, operis acceperunt, nec quidquam præter id, quod ex officii neceſſitate facere debuerunt, fecere.

XLIX.

Quamvis vero exſpectantias aliquando ob utilitatem vel neceſſitatem publicam conceſſas valere per rationes exemplis illuſtribus comprobatas oſtenderim, ſtricte tamen

men

Digitized by Google

men eas ſemper interpretandas eſſe credo, ut ſcilicet per illas, quam fieri poteſt, minimum reipublicæ patrimonium exhauriatur, poteſtasque principum conſtringatur & limitetur. Omne enim id, quod liberam principis & reipublicæ de prædiis, beneficiis & muneribus ſuis disponendi poteſtatem aut tollit aut imminuit, odioſum eſt ac reſtringendum. Sic, exſpectativa feudi conceſſa in caſum mortis ſine liberis, exſpectativatus non admittitur, ſi ob feloniam feudum ad dominum revertatur, licet & ipſe vaſallus absque liberis poſtea moriatur, & vice verſa, quandoquidem conditio ſpecifice eſt adimplenda. *Hornius Jurisprud. feudal. c.* 12. §. 9. *Schilterus in comment. ad c.* 12. *Juris alem. feud.* §. 4. Huc pertinet exemplum quoddam illuſtre, quod *Faber* **in der** *Europæi*ſchen Staats-Canzley *t.* 13. *p.* 464. *ſqq.* refert. Conceſſerat Maximilianus I. duci Megapolitano Henrico I. anno 1502. exſpectativam in landgraviatum Leuchtenbergicum his verbis: **Wann der Wohlgebohrne** Johannes **Landgraff von Leuchtenberg ohne eheliche und männliche Leibes-Erben / dieweil er ſonſt keinen Leibes-Erben hat / mit Todt abgehet / daß Wir Hertzog Heinrich von Mecklenburg und ſeinen Erben die gemeldte Land-Graffſchafft zu Leuchtenberg mit aller ihrer Obrigkeit / Herrlich- und Gerechtigkeit / nichts ausgenommen / wie dann die von uns und dem Heil. Reich zu Lehen herrühret / vor männiglich gnädiglich leihen ſollen und wollen. Und ob von Uns und unſern Nachkommen Röm. Käyſern und Königen hierwieder aus Unwiſſenheit / oder in andern / in was Schein das beſchehe / ichts ausginge / ſoll doch ſolches krafftloß / und dem genannten unſerm Oheim Hertzog Heinrich von Mecklenburg und ſeinen**

Digitized by Google

Erben an dieſer Verſchreibung unvergreiflich und unſchädlich ſeyn / doch Uns den halben Theil von ſolcher Landgraffſchafft in unſerer Cammer vorbehalten / getreu und ohngefährlich. Non decedebat vero Joannes landgravius Leuchtenbergicus ſine maſcula prole, ſed demum poſteritas eius anno 1646. in Maximiliano Adamo exſtinguebatur. Cæſar igitur vacuum domino landgraviatum non ducibus Megapolitanis ſed Bavariæ duci Alberto, cui nupta erat defuncti Maximiliani Adami ſoror, conferebat. Adquieſcere tunc temporis neceſſum habebant duces Megapolitani, quod bello tricennali penitus exhauſti eſſent. Sed quum anno 1705. Maximilianus Philippus Bavariæ dux & landgraviatus Leuchtenbergici poſſeſſor ſine prole diem obiret ſupremum, atque agnati eius, electores Colonienſis & Bavaricus, publice proſcripti eſſent, dux Megapolitanus Fridericus Wilhelmus acceptam olim exſpectantiam proferebat, &, ut inveſtiretur, petebat, contendebatque, caſum expreſſum, ſi vaſallus ſine filiis moriatur, tacite & illum, ſi poſteritas eius exſtinguatur, complecti, & datam olim ducibus Bavaricis inveſtituram ſibi propter inſertam exſpectativæ formulam non nocere. Verum & cæſar & ſupremum eius tribunal anno 1708. landgraviatum duci Megapolitano abiudicavit & Leopoldo principi Lambergenſi dedit, procul dubio non alia ex ratione, quam quod Joannes landgravius Leuchtenbergicus ſine liberis non deceſſiſſet, ad quem tamen caſum exſpectantia Henrico I. data alligata fuerat.

L.

Concluſionem hanc, quod exſpectativæ tunc etiam, quum ſervantur, ſtricte tamen interpretandæ ſint, alio exemplo

Digitized by Google

exemplo illuſtrabo. Scilicet exſpectativatus iuri ſuo, ſi quod habet, renunciare poteſt ſine dubio. Renunciat vero vel expreſſe vel tacite per factum Tale factum eſt, quum exſpectativatus quid ſuſcipit, quod cum re, quam exſpectat, ſimul ſtare nequit, ſeu, ut loquuntur, incompatibile eſt; ut puta, ſi quis feudi, quod leges extraneo aut alterius principis miniſtro conferri vetant, exſpectantiam habens domicilium ſuum in aliam provinciam transferat, aut in alterius principis ſervitium tranſeat; vel ſi beneficium aut officium exſpectare iuſſus munus, quod ſimul cum beneficio & officio illo geri nequit, acceptet. Hic renunciat profecto exſpectantiæ ſuæ, *c.* 30. *de Præbendis in* 6. Fac ergo, vacante deinde feudo, officio vel beneficio exſpectato, exſpectativatum conditionem illam ſpei ſuæ contrariam deſerere, atque in locum vacuum intrare malle. Audiendus non eſt. Nam, dum renunciavit, iure omni, quod ex pacto habuit, ſe abdicavit, nec id, invito altero, recipere poteſt. *Clement.* 4. *d. Reſcriptis.* Nec iuvabit eum, quod forte, dum incompatibilem iſtam conditionem accepit, de iure exſpectantiæ conſervando proteſtatus eſt. Nam proteſtatio hæc facto contraria non attenditur, nec illum a quo exſpectantia pendet, invitum obligat, ut pactum cui alter contravenit, ex ſua parte ſervet, arg. *d. Clement.* 4. ibi: *aut ſis reſignare paratus. Ipſe Gloſſator ad hanc Clement. verbo renunciare lit. b. Puto*, inquit, *hanc decret. locum habere, etiamſi proteſtetur recipiendo ſecundum, quod gratiæ renunciare non intendit.* Huc pertinet altera eius reſponſi, cuius priorem partem ſupra *in* §. 33. inſerui, pars, quam a celeberrimo Præſide meo acceptam hic communicabo: Wann auch allenfalls

obge-

obgedachte exſpectanz vor gültig gehalten werden ſolte/ ſo müſte nichts deſtoweniger zweytens in Betrachtung kommen/ daß Iſaac Meyer derſelben bereits genoſſen/ indem des Herrn Biſchoffs Hochfürſtl. Durchl. nachdem ſein Vater behindert und unvermögend geweſen bey andern Verrichtungen dieſen beyden Aemtern länger vorzuſtehen/ mithin der in der exſpectanz ausgedruckte Fall: Wann Er *D. Meyer* mit Tode abgehen/ oder ſonſt Alters und Unvermögens halber ſolche Bedienungen zu vertreten nicht beſtand ſeyn ſolte; würcklich exiſtiret/ ihn in das Conſiſtorium und Hoff-Gerichte einführen laſſen/ auch in dem ſolcher Einführung halber gegebenen gnädigſten Befehl der von der Ritterſchafft und Städten vorhergegangenen præſentation deutliche Meldung gethan/ und ſie gleichſam mit zum Grunde geſetzet/ die Land-Stände hingegen das zwiſchen Vater und Sohn abſonderlich getroffene pactum, welches dem Vater die Beſuchung der Collegiorum frey geſtellet/ gantz nicht angegangen/noch das Hauptwerck/ nemlich die Erfüllung der ertheilten exſpectanz und præſentation, hindern mögen. Bey ſo geſtalten Sachen nun/ und da Iſaac Meyer ſeine exſpectanz und præſentation einmahl zur Würcklichkeit gebracht/ und bey Annehmung der Bürgermeiſter-Stelle ſich ſeines erlangten Rechtens wieder begeben/ ſo kan er nunmehro wieder den Willen der Ritterſchafft und Städte nicht variiren/ noch die iura, denen er einmahl renunciiret/ zurücke nehmen. Denn die renunciation des ihm aus der exſpectanz zuſtehenden Rechts iſt nicht allein mit Worten/ ſondern facto ipſo durch Annehmung des mit dem Conſiſtorial-und Hoff-Gerichts-Aſſeſſorat incompatiblen Bürgermeiſter-Amts geſchehen. Und vergönnen

ſo

Digitized by Google

ſo gar die Rechte nicht/ daß derjenige/ welcher auf ſolche Art der exſpectanz ſich tacite begeben/ hernach bey erfolgender vacanz mit Quitirung des incompatiblen beneficii das/ worauf er exſpectiviret/ annehme. Dagegen den Iſaac Meyer nicht hilfft/ daß er bey Annehmung des Bürgermeiſter-Amts ihm die exſpectanz bey E. Hochwürdigen Dom-Capitul vorbehalten/ denn auſſer dem/ daß dergleichen reſervation oder proteſtation tanquam facto und legi contraria ungültig iſt/ ſo iſt über dis E. Hochwürdiges Dom-Capitul nicht berechtiget geweſen/ dem Bürgermeiſter Meyer ohne Vorwiſſen und Willen der Land-Stände ſein einmahl erloſchenes Recht vorzubehalten/ und dadurch das den Land-Ständen zuſtehende ius praeſentandi zu kräncken. Uber dis hat man ja die damahlige reſignation des jüngern D. Meyers vor eine würckliche vacanz gehalten/ indem nicht allein die Land-Stände Laut Schreibens ſub E. ihnen die praeſentation bedungen/ ſondern auch der alte D. Meyer/ welcher mit Bewilligung der Stände an des Sohnes Stelle getreten/ den zweyten locum und nicht den erſteren/ der ihm ſonſt ſeines Alterthums halber gebühret hätte/ occupiret. Dieſemnach ſeynd deputati der Ritterſchafft und Städte des Hoch-Stiffts Hildesheim wohl befugt mit Ubergehung des Bürgermeiſter Meyers andere ſubiecta zu der erledigten Conſiſtorial-Rath und Hoff-Gerichts-Adſeſſor-Stelle zu præſentiren.

LI.

Id ex recta ratione per ſe patet, conceſſam exſpectantiam, ſi vel maxime firma ſit, illi tamen, qui beneficium, officium aut feudum in præſens poſſidet, prorſus

Digitized by Google

innoxiam eſſe debere. Vide 1. *f.* 27. ibi *nullum detrimentum.* Itaque conditio eius nulla in re per exſpectantiam deterior reddi debet. Ex quo porro conſequitur, licere poſſeſſioni rem illam, quam alter exſpectat, cum domini conſenſu alienare, nec poſſe exſpectantem contradictione ſua conſenſum domini impedire. Vide *Strykii Examen iuris feud. cap.* 12. *quæſt.* 34. Id quod *Hornius in Jurisprud. feudal. c.* 12. §. 12.] ad eum exſpectativatum, qui ſimul abuſive inveſtitus eſt, rectiſſime extendit. Neque enim ficta illa ſeu abuſiva inveſtitura poſſeſſori præſenti detrimentum inferre debet. Adiiciam ſententiam JCtorum Helmſtadienſium menſe Julio anni MDCCXIX. exaratam & benevole a celeberrimo Præſide communicatam: Daß / des von den Lauen gethanen Wiederſpruchs ungeachtet / der zwiſchen dem von Oelſchnitz und dem von Hake getroffene Kauff lehnherrlich zu beſtätigen / und die beyderſeits verurſachte Unkoſten gegen einander aufzuheben ſeynd. Jedoch wird den Lauen ihre Anwartſchafft billig vorbehalten. V. R. W. cui ſententiæ hæ ſubnexæ fuerunt rationes: Der gantze Streit kommt auf die Frage an / ob die Lauen wegen der ihnen an dem Bruuch zu Staßfurth zuſtehenden Anwartſchafft verhindern können / daß ſolcher Bruuch von dem gegenwärtigem Beſitzer mit lehnherrlichen conſens nicht veräuſert werde. Nun wollen zwar die Lauen ihr ius contradicendi daher behaupten / daß ihr Vater und ſie ſolche Anwartſchafft bona fide von dem Freyherrn von Heym / und deren Beſtätigung von Königl. Maieſtät erhalten / daß ihnen nebſt der exſpectanz zugleich die geſammte Hand oder inveſtitur, alſo ein dingliches Recht / zugeſtanden worden / und daß der von der Oelſchnitz in ein

Cloſter

Digitized by Google

Cloſter gegangen/ folglich ſein Lehn-Recht ipſo iure verlohren. Gewinnet es demnach das Anſehen/ ob ſey der von den Lauen gethane Einſpruch wohl gegründet. Alldieweil aber der ſo wol natürlichen Billigkeit als den gemeinen Lehn-Rechten nach durch Verleihung einer exſpectation dem gegenwärtigen Beſitzer nicht der geringſte Nachtheil zugezogen werden muß/ hingegen zu deſſen nicht geringem præiudiz gereichen würde/ daferne ihm die Macht das Gut mit lehnherrlicher Bewilligung zu veräuſern/ benommen/ eingeſchräncket/ oder ſchwehr gemachet werden ſolte/ folglich die Rechtslehrer einhellig ſchlieſſen/ es könne der exſpectativatus der vorzunehmenden Veräuſerung nicht wiederſprechen/ welches auf dem Fall/ da zugleich eine inveſtitura abuſiva vorhanden/ erſtrecket wird/ ferner die Lauen bey dieſer Veräuſerung directo keinen Schaden leiden/indem nur an ſtatt des vorigen Beſitzers ein anderer eintzeler annoch unbeerbter Vaſall ſurrogiret wird/ und ihnen ihr Anwartſchaffts-Recht in ſalvo bleibet/ endlich keine eigentliche Nachricht bey den actis vorhanden/ was es mit dem in das Cloſter gehen des von der Oelſchnitz vor eine Bewandniſſe habe/ auch ohnedem der Kauff zwiſchen ihm und dem von Hake lange vorher geſchloſſen/ und um lehnherrliche Beſtätigung deſſelben angeſuchet/ dieſe auch nicht abgeſchlagen/ ſondern nur biß nach geſchehener Unterſuchung der Lauiſchen contradiction ausgeſetzet worden/ alſo/ wenn ſie noch erfolget/ ad tempus initi contractus retrahiret wird; ſo haben wir dafür gehalten/ daß der ſtreitige Kauff gar wohl beſtätiget werden könne.

LII.

Hæc de exſpectantiis in genere dicta ſufficiant. Re-

ſtat, ut de ſingulis exſpectantiarum ſpeciebus pauca ſubiiciam. Et primum quidem de exſpectantiis eccleſiaſticis nonnulla monebo. Harum obiectum conſtituunt omnia eccleſiaſtica beneficia *cap. 2. X. de conceſſ. præb.* Beneficium vero ſeu præbenda, uti in *titulo de Præbendis in 6.* appellatur, eſt facultas iure competens fruendi fructibus ex bonis eccleſiæ propriis provenientibus intuitu miniſterii eccleſiæ præſtandi. Quamvis autem beneficium ab officio ita differat, quod propter hoc illud detur, haud infrequenter tamen in iure canonico unum pro altero ſumitur, ita ut modo beneficium officium, & vice verſa hoc illud denotet, vel etiam plane ſub ſe comprehendat. Huc ſpectant paſtoratus, ſive ſint parochiales, ſive civici, ſive cum inſpectione coniuncti in ceteros, ſive non, diaconatus, profeſſiones Academicæ ac ſcholaſticæ, officia præſidis, adſeſſorum & ſecretariorum in conſiſtoriis commendaturæ, abbatiæ, præpoſituræ, canonicatus, minora clericorum, ut cuſtodum, cantorum &c. munera. Eſt igitur exſpectantia eccleſiaſtica, de qua hic loquimur, ratione concedentis translatio iuris ſuccedendi in beneficium eccleſiaſticum in eum ſcilicet caſum, ſi eius poſſeſſor illud poſſidere amplius nequeat, & ratione impetrantis facultas iure competens ſuccedendi &c.

LIII.

Contrariæ quidem bono publico ſunt exſpectantiæ omnium munerum & beneficiorum eccleſiaſticorum, ſed eorum tamen imprimis, quæ, ut loquuntur vulgo, curam animarum coniunctam habent. Præter rationes, quas *ſupra in* §. 20. *ſqq.* attuli, accedit hic alia. Exſpe-

Digitized by Google

ſtantiæ nempe excludunt liberam eccleſiæ electionem, cuius tamen neceſſitas & in iure fundata & rationi quam maxime eſt conveniens. Scio equidem, in pauciſſimis eccleſiis hodie liberam populo electionem permitti. Adſcripſerunt ſibi eam ubivis fere potentiores ſub iuris patronatus titulo. Remanſit tamen aliquod veteris electionis, quæ penes totum populum erat, veſtigium, votum ſcilicet, ut loquuntur, negativum, ſeu ut *Carpzov. l.* 1. *Jurisprud. eccleſ. def.* 38. *n.* 2. id vocat, informativum, ita, ut, facta ab eo, cui ius patronatus competit, electione, ſingulis eccleſiæ membris ſit facultas electum & nominatum repudiandi, adlegatis iuſtis diſſentiendi cauſis. Hoc votum negativum in recta ratione & ſacro codice 1. *ad Timoth. III,* 10. fundatum, decretisque variorum conciliorum, quæ memorat *Schilterus in Inſtitut. iuris can. lib.* 1. *tit.* 14. §. 34. comprobatum ſine iniuſtitia, ac, fere dixerim, impietate tolli nequit. In terris certe Brunſvicenſibus lege etiam ſtabilitum eſt. Vide Hertzog Anthon Ulrichs erneuerte Kirchen-Ordnung *P.* 1. *c.* 2. §. 3. Nec pontificii id plebi ſuæ prorſus denegant. Vide *can.* 1. *diſtinct.* 62. ubi ſtatim in principio habetur: *nulla ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis electi nec a plebibus expetit;* quæ ſane verba nihil aliud indicant, quam eos ſolummodo rite & canonice eſſe electos, qui & a clero electi & a plebe adprobati ſint, ſive quos plebs ob cauſſas ſonticas non repudiaverit. Confirmant hanc ſententiam verba *can.* 113. *cauſa* 1. *qu.* 1. *ordinationes, quæ non communi conſenſu Cleri & populi ſecundum canonicas ſanctiones fiunt, falſas eſſe diiudicamus*, & verba *can.* 27. *diſt.* 63. *vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium,*

Digitized by Google

electio clericorum in ordinationibus ſacerdotum exſpectantur. Adde *can.* 1. *diſt.* 23. §. 2. & *can.* 2. *diſt.* 24. Huc pertinet etiam *ſynodus Tridentina ſeſſ.* 24. *can.* 18. quæ patrono quidem vel epiſcopo electionem ipſam relinquit, aliis tamen, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre permittit, ut poſſit poſtea de cuiuslibet ætate, moribus & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Neque enim patronus ſive is, qui ius eligendi habet, ſemper certior eſſe poteſt, ſe talem elegiſſe, qualem eſſe oportet ſacerdotem, quum ipſi tanquam homini candidati ſui impietas facillime poſſit eſſe ignota, quæ aliis forte eccleſiæ membris eſt notiſſima, ſed erga patronum aſtute diſſimulata. Quum igitur neceſſarius ſit eccleſiæ in conſtitutionem ſacerdotis conſenſus, bonoque publico ex eius neglectione magnum inferatur damnum, exſpectativæ, quæ conſenſum hunc prorſus excludunt atque impediunt, non ſunt ferendæ.

LIV.

Deinde exſpectantia eccleſiaſtica aditum ſimoniæ ſaltem ſubtiliori aperit. Si ius ſpectas, inviti ſaltem ad ſacerdotium provehi debebant, & indigni ſunt ſacro munere, qui ſponte id petunt *L.* 31. *C. de Epiſcopis & Clericis.* Verum iſta lex diu iam obſervari deſiit. Sincera tamen adhuc debet eſſe vocatio ad officium ſacrum, ita ut vocans non indignis precibus, pollicitationibus, blanditiis, vel quod deterius adhuc eſt, pecuniæ oblatione inductus vocet. Triplex ſcilicet eſt, quod in ſimonia intervenit, munus, & aliud a manu, aliud ab obſequio, aliud a lingua proficiſcitur. Vide Georgii I. & Vrbani II. effata apud Gratianum in *can.* 114. *cauſa* 1. *quæſt.* 1. & *can.* 8. *cauſa* 1. *quæſt.* 3. Munus a lingua eſt oblatio

oblatio pecuniæ aut cuiuslibet rei, quæ magni an parvi momenti ſit, nihil intereſt *c.* 20. *X. de Simonia.* Munus a lingua intervenire dicitur, quum beneficium ad preces & ex favore confertur, qua de re plura vide apud *van Eſpen in Jure eccleſ. univ. P.* 2. *tit.* 30. *c.* 2. §. 7. Limitat tamen hæc recte Gratianus in *can.* 122. *cauſa* 1. *qu.* 1. *Non quorumlibet*, inquiens, *precibus ordinationes factæ falſæ diiudicantur, ſed hæ demum quæ precibus ordinandi vel eius amici non ſpirituali, ſed carnali affectu porrectis fiunt, cum alias futura non eſſent, quas non charitas interveniens ſed amicitia ſupplicans extorquet.* Denique munus ob obſequio intervenit, quum indebitum ab ordinando officium patrono præſtatur, id quod *van Eſpen d. l.* §. 18. etiam ad eos extendit, qui principum aut aliorum magnatum liberos vel epiſcoporum nepotes nullo aut exiguo ſtipendio rigendos erudiendosve ſuſcipiunt ea ſpe, ut beneficia eccleſiaſtica ab ipſis vel eorum favore adipiſcantur. Quæ omnia, ſi accurate conſideras, fateberis, exſpectantias fere omnes, quæ dantur, ex uno horum fontium fluere. Agnoſcit hoc *Hornius in diſſ. de exſpectat. eccleſ.* §. 12. dicitque, quando per portam exſpectantiarum intrare licet in eccleſiam, aucupatores illarum ante tempus currere, fatigare collatores, ſuffragia ſtipulando exigere, & fere vim facere, atque id agere, ut unus alium prævertat. Egregie hac de re ſentit Bonifacius IIX. in *cap.* 2. *de Conceſſ. præb. in* 6. *Promiſſiones*, inquiens, *huiusmodi propter importunitatem nimiam (per quam non concedenda multoties conceduntur) & per ambitionem improbam utplurimum extorquentur.* De cetero inſigne pacti ſimoniaci ſuper exſpectantia initi exemplum vide in excellentiſſimi

Digitized by Google

mi *Præſidis ſpec. ad D. XLIV. de Variis pactorum ſucceſſor. gener. med.* 3.

LV.

Hæ igitur & ceteræ, quas ſupra memoravi, rationes effecere, ut exſpectantiarum largitiones prohibuerint tam ſevere tum patres, tum ipſi pontifices. Vide *can.* 23. *concilii Antioch.* ſub Dionyſio, qui pontifex creatus anno Chriſti 260. habiti, excerpta ex concil. Lateranenſi ſub Alexandro III. anno 1179. habito in *cap.* 2. *X. de Conceſſ. præb. Adde cap.* 14. *X. de Conceſſ. præb. & eccleſiæ non vac. cap.* 2. *de Conceſſ. præb. & eccl. non vac. in* 6. *Concil. Baſileenſe ſeſſ.* 31. *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de Ref. c.* 19. ubi decernitur, mandata de providendo & gratias, quæ exſpectativæ dicuntur, nemini amplius etiam a collegiis, univerſitatibus, ſenatibus & aliis ſingularibus perſonis etiam ſub nomine indulti aut ad certam ſummam vel alio quovis colore concedi nec hactenus conceſſis cuiquam uti licere. Concordata quoque germanicæ nationis Fridericum III. inter & Nicolaum V. inita exſpectantias tollunt, quibus non leve addunt pondus *Capitul. Caroli V. art.* 16. & *Capitul. Caroli VI. art.* 14. Graviter ergo peccant illi, qui contra ſaluberrimas haſce conſtitutiones vel dant vel accipiunt exſpectativas. Vtrique ex priſcorum auctorum mente adulterium committunt. Nam, ut *du Freſne in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis* voce *Adulterium* obſervat, adulteros vocant ſcriptores eccleſiaſtici, qui civitatis epiſcopo adhuc ſuperſtite, eiusdem epiſcopatum invadunt, aut qui quempiam ad epiſcopatum promoveri patiuntur, epiſcopo adhuc vivente. Epiſcopus enim promotione ſua ſpirituales nuptias cum eccleſia ſua contrahit. Liberatus

Dia-

Diacon. qui circa annum 570. vixit, cap. 14. *Cumque ſuper hoc multa dubitatio proceſſiſſet, volentibus civibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, (Dioſcoro quippe vivente) noviſſime in Proterium univerſa ſententia declinavit*; & *cap.* 17. *Porro hæretici, ut iam dictum eſt, Petrum latenter inſtituerant, quem iuſſit Zenon imperator expelli tanquam hereticum & adulterum &c.*

LVI.

Quæ quum ita ſint, exſpectantias eccleſiaſticas ipſe princeps dare non debet, niſi neceſſitas aut utilitas publica manifeſte ipſum ad hoc moveat. Neque igitur adſentio *Hornio*, qui in *diſſ. de exſpectativa eccleſiaſtica* §. 14. principibus noſtris ſimpliciter permittit exſpectantias concedere. Præcipua, in qua *Hornius* nititur, ratio nullius momenti eſt. Ait, principes eadem, quam canoniſtæ pontifici maximo tribuunt, facultate gaudere. At ipſe pontifex nullam habet. Adimit hanc ei claris verbis *Concilium Baſileenſe ſeſſ.* 31. conſtituitque: *Ut Romanus pontifex, qui pro tempore fuerit, eas deinceps gratias exſpectativas aut nominationes nullo modo nullave ex cauſa concedat; quum ipſe præ ceteris, ne ſit tantorum occaſio malorum, abſtinere debeat.* Hanc exſpectativarum ſublationem pragmatica ſanctio in Francia ſtatim ſtabilivit. In Germania concordata, quibus pontifex contravenire nequit, habemus. Acceſſit *Concil. Trident.* quo concilii Baſileenſis decretum non tollitur, ſed firmatur magis in *ſeſſ.* 24. *c.* 19. Qui diſſentiunt, ad poteſtatem pontificis ſupra concilia provocant. At his iam alii ex catholicis cordatioribus ipſis reſponderunt. Si ergo principibus noſtris ius hoc adſerere volumus, neceſſe eſt, ut maiorem illis, quam pontifex habet, poteſtatem

tribuamus. Et tribuenda hæc eis eſt utique, ita tamen, ne per illam ſalus publica & ius divinum lædatur.

LVII.

Quæ dixi, ad ea potiſſimum eccleſiaſtica munera pertinent, quæ cum animarum cura coniuncta ſunt. Sed nec in illis beneficiis, quibus talis cura adnexa non eſt, exſpectativam probo. Eludunt enim illæ & tollunt finem, propter quem beneficia hæc inſtituta olim fuerunt & adhuc hodie etiam poſt reformationem inter proteſtantes conſervantur. Et prima quidem canonicatuum ceterorumque eiusmodi beneficiorum inſtituendorum cauſſa fuit ſine dubio cultus divinus. Ne hic a canonicis negligeretur, maiores noſtri beneficiorum iſtorum auctores liberalitatem ſuam infinitis obteſtationibus & exſecrationibus munierunt. Quarum vis adhuc hodie perdurat, obligatque canonicos noſtros. At diu iam ante Lutherum iſte præcipuus finis negligi cepit. Et deliberatum propterea fuit ab initio reformationis inter proteſtantes, præſtaretne aboleri prorſus ea beneficia atque eorum reditus in meliores uſus impendi. Et abolita ſunt multa, ſed retenta tamen nonnulla. Cauſſæ retinendæ variæ fuerunt. Inter eas primo ſemper loco nominata eſt gloria Dei, quem colere diligenter & adorare canonicos iſtos oporteret. Ceteræ cauſſæ erant, ut homines ex illuſtribus & nobilibus familiis orti, ſed pauperes, honeſte ſuſtentarentur, ut viri bene de republica vel eccleſia meriti his præmiis ornarentur, ut, qui in togata ſagatave militia conſenuerunt, & vel annis vel vulneribus inutiles facti ſunt, portum, ad quem confugerent tandem, haberent, ut hi, qui in templis, aulis, curiis, ſcholis fideliter ſed modica mercede ſerviunt, his beneficiis ornati augmentum quaſi ſtipendiorum ſine rei-

publicæ

Digitized by Google

publicæ moleſtia acciperent. At pia hæc inſtituta & deſideria intervertuntur plerumque per exſpectativas. Scilicet homines pecunioſi, dum filios ſuos noxas futuros aut prævident aut metuunt, otium illis, in quo exactis per libidinem iuvenilibus annis torpeant, procuraturi exſpectativam præbendæ cuiusdam nundinantur. Vel homines gratioſi apud principem liberis ſuis, dum in cunis vagiunt, exſpectativas tales per preces impetrant. Pauci ex his, quibus vel pretio vel precibus exſpectativa adquiſita eſt, generoſioris indolis dignos ſe beneficio, quod exſpectant, reddunt. Plerique de ſagina ſua ſecuri, neglectis bonis literis, neglectis armis, patrimonium ſuum interim abliguriunt, tyrociniumque ſuum in poculis & voluptatibus aliis ponunt; exhauſtis vero tandem opibus & viribus fracti & feſſi vacuefactam præbendam intrant, ac vitam, cui a puero adſueverunt, ſuaviter continuant, potando & dormiendo maxime intenti. Aliquos quidem ſed paucos virtus ſua vulgo eximit. Sed plerique ita, ut dixi, vivunt; quorum mores feſtiviſſime depingit *Boileau* in Satyra, quam *Lutrin* adpellat *chant. IV. & V.* Scita in hoc auctore omnia ſunt & lepida, illud vero lepidiſſimum, quod de canonicis caſu quodam ante lucem e lecto excitatis ſcribit.

L' aurore cependant d' un iuſte effroy troublée
Des chanoines levés void la troupe aſſemblée,
Et contemple long-temps avec des yeux confus
Ces viſages fleuris, qu' elle n' a iamais vûs.

LVIII.

De profeſſionibus academicis illicitisque in eas exſpectativis conſtitueram quoque aliqua dicere. Sed præoccupavit iam & exhauſit laborem hunc *Matthias Stephani de Jurisdictione lib. 3. P. 1. c. 18.* Sed & ex illis, quæ

Digitized by Google

ſupra paſſim memoravi, ſatis apparet, nec has exſpectantias tolerandas eſſe.

LIX.

An etiam exſpectativæ munerum civilium ſint improbandæ, quæritur? Mira hic & immenſa eſt diverſitas opinionum. Ego ſententiæ adfirmantium cum *Zieglero in Dicaſtice concluſ.* 6. *Mylero ab Ehrenbach in Hyparchol. c.* 3. multisque aliis, quos *Mylerus ibidem* recenſet, ſubſcribere non dubito, non ſolum ob votum captandæ mortis, quod unicum fere Ziegleri contra has exſpectantias argumentum eſt, ſed imprimis ob eas, propter quas & ſupra exſpectantias eccleſiaſticas in ſpecie reieci, rationes. Quadrant enim incommoda, quæ §. 21. *ſqq.* recenſui, fere omnia in exſpectantias munerum civilium. Sed ſupra iam paſſim hoc argumentum tetigi. Repeto itaque omnia, ea imprimis, quæ in §. 24. 25. 29. 33. dicta fuerunt.

LX.

Sed an eiusdem iniquitatis arguendæ ſunt exſpectativæ feudales? Negat id *Hornius in Jurisprud. feudal. c.* 12. §. 8. hac ratione motus, quod reſpectu domini directi hic agatur de re, quæ ex parte in dominio eius iam eſt, & cuius conſolidatio ſperatur tantum. Reſpexit hic *Hornius* ad iuris Romani in pactis ſucceſſoriis placita, quæ ea propter ad exſpectantias feudales extendenda non eſſe putat, quod hic de re non plane aliena ſed pro parte in dominio paciſcentis iam exiſtente agatur. Verum enim vero non opus eſſe puto, ut ſuper hac controverſia ex iure Romano diſputem, quamvis, ſi ex iure hoc diſputandum eſſet, indubiam mihi victoriam pollicerer. Nam, qui exſpectativam concedit, non dominium ſuum directum ſed utile illud, quod adhuc penes alterum

eſt,

eſt, tribuit, adeoque de alieno, non de ſuo donat. Verum ſi vel maxime ratio illa a prohibitione pactorum ſucceſſoriorum petita ſecundum Hornium concidat, ſupereſt tamen fortiſſimum illud, quod ſupra in §. 42. ex *L.* 1. & 2. *C. de Petit. bonorum ſublatis* deſumpſi, argumentum; ſed nolo in præſens ex iure Romano diſputare. Neque Placentinorum præſidium in 1. *f.* 27. nec Suevorum veterum, qui itidem in *iure feudali ſuo cap.* 19. exſpectantias damnarunt, ſuffragium mihi expetam. Revocabo ſaltem exſpectantias feudales ad legem ſupremam publicæ ſalutis, cum qua ſi conveniant, iuſtæ erunt, ſi non, iniuſtæ. Non convenire autem, inde ſatis patet, quod omnia mala, quæ in §. 21. *ſqq.* recenſentur, iis maxime inſint. De cetero, quod ius feudale Longobardicum exſpectantias admittit, nobis non obeſt. Intelligi enim hoc debet de privatis tantum, quibus ſalus publica nullo modo innexa eſt.

LXI.

Neque exſpectantiæ feudales per accedentem inveſtituram abuſivam firmiores redduntur. Miror profecto, eſſe, qui abuſivæ inveſtituræ tantam vim tribuunt, ut eam cum inveſtitura propria ferme adæquent. Si rem curate conſideras, omne abuſivæ inveſtituræ fundamentum in mera fictione conſiſtit. Fictionibus vero id tribuere non debemus, ut per eas veritas & iuſtitia lædatur. Sed nolo in præſens contra abuſivæ inveſtituræ patronos diſputare. Refutarunt hos iam ante me ſatis multi, imprimis vero *Struvius in Syntagm. iuris feudal. c.* 8. *aph.* 9. Dicam nunc ſaltem, exſpectantiam feudalem propterea, quod exſpectativatus ſimul inveſtituram abuſivam impetravit, iuſtiorem melioremque non effici, id quod iam *ſupra in* §. 51. luculento exemplo oſtendi.

LXII.

Plura exſpectantiarum genera memorari poſſent. Sic non raro princeps eaſdem in bona allodalia, ſi fiſco forte aperiantur, concedit. Pertinent & huc exſpectantiæ militares, de quibus generoſus & ingenioſus poeta Marchicus, *Kanitzius* in elegantiſſima ſatyra, quam **von dem Hoff-und Stadt-Leben** inſcripſit, ſic canit:

Denn leyder mancher bringt ein Fähnlein auf die Welt/
Wird auf der Ammen Arm als Hauptmann vorgeſtellt/
Und kriegt/ eh er verdient im Schilder-Hauß zu ſtehen/
Den Feind zum erſtenmahl als Obriſter zu ſehen.

Dantur quoque exſpectantiæ matrimoniorum.

Quelque ieune galant bien frais, bien delié
De mon lit moi vivant aura la ſurvivance;

verba ſunt celeberrimi poetæ Gallici *Corneille.* Verum brevitatis amor non patitur, ut longius exſpatier, & diſſertationis limites excedam. Igitur finem ſcripto huic impono, Deoque debitas pro auxilio præſtito gratias perſolvo.

SVMMA CAPITA

1. *Vox exſpectantia in latina ſpeculi ſaxonici verſione ſeculo XIV. confecta occurrit, ipſa tamen recentior ac infimæ latinitatis eſt.*
2. *Vox exſpectativa paulo antiquior eſt, ſcriptoribus eccleſiaſticis familiaris, ſed JCtis ante ſeculum XVI. incognita.*
3. *Exſpectatio latinius dicitur. Sed præſtat retinere voces barbaras.*
4. *Quid ſit exſpectantia, explicatur.*
5. *Synonima voces recenſentur.*
6. *Exſpectantias olim æquas credidit Præſes, nunc iniquas eſſe videt.*
7. *Ordo dicendorum.*
8. *Exſpectantiarum iniquitatem agnoverunt iam alii.*
9. *Ex quibus tamen aliqui iuſto rigidiores, nonnulli indulgentiores, quam par eſt, ſunt.*
10. *Exſpectantiæ per ſe & natura ſua turpes non ſunt.*
11. *Omni exſpectantiæ ineſt votum captandæ mortis.*
12. *Votum captandæ mortis turpe non eſt, quamdiu in ſimplici deſiderio conſiſtit.*

13. Codex

Digitized by Google

13. *Codex ſacer exſpectativas non damnat.*

14. *Jus romanum exſpectativas prohibet ob votum captandæ mortis cum conatu interficiendi coniunctum.*

15. *Votum hoc captandæ mortis multis aliis negotiis licitis ineſt.*

16. *Poteſt tamen inter rationes, quæ abolitionem exſpectantiarum ſuadent, referri.*

17. *Exempla exſpectativatorum, qui vitæ anteceſſorum ſuorum inſidiati ſunt.*

18. *Exemplum recens denegatæ ob votum captandæ mortis exſpectativæ.*

19. *Aliquando exſpectativati eum, cuius ſucceſſionem ſperant, a matrimonio aut liberorum procreatione impediunt.*

20. *Exſpectantiæ bono publico contrariantur, quia per illas*

21. *(a) patrimonium reipublicæ deminuitur & incrementum eius impeditur,*

22. *(b) principibus facultas benemeritos remunerandi adimitur,*

23. *(c) pro levi officio nimia merces rependitur,*

24. *(d) indigni præmiis adficiuntur & ad honores provehuntur, (e) digni excluduntur,*

25. *(f) ſub- & obreptionibus nec non importunis flagitationibus via aperitur,*

26. *(g) periculum reipublicæ creatur,*

27. *(h) ſucceſſoribus in principatu manus ligantur,*

28. *(i) infinitæ lites ſuſcitantur,*

29. *(k) homines ignavi redduntur & a ſtudio virtutis avertuntur,*

30. *(l) hi, quibus ſucceſſor datur, iniuriam accipiunt & mærore conficiuntur.*

31. *Ex his præmiſſis concluſiones formantur.*

32. *I. Privati exſpectantias bono publico ſaltem leviter contrarias concedere nequeunt,*

33. *id quod reſponſo JCtorum Helmſtadienſium illuſtratur.*

34. *II. Princeps exſpectantias concedere poteſt.*

35. *Invitus tamen compelli nequit.*

36. *III. Succeſſor, etſi heres ſit, ad implendas anteceſſorum ſuorum exſpectativas non obligatur.*

37. *IV. Ipſe concedens exſpectantias revocare poteſt.*

38. *Diſſentientium argumenta*

39. *non ſatis refelluntur a Mylero,*

40. *nec a Böhmero.*

41. reſu-

Digitized by Google

41. *refutantur vero optime ex ratione ſalutis publicæ.*

42. *Ipſæ leges principi revocationem hanc permittunt.*

43. *Removetur dubium.*

44. *V. Princeps exſpectantiam a ſe conceſſam revocans nec ad intereſſe præſtandum obligatur.*

45. *VI. Firmæ & irrevocabiles ſunt exſpectantiæ, quas neceſſitas publica extorſit,*

46. *quo referuntur coadiutoriæ.*

47. *VII. Firmæ etiam ſunt illæ, quæ propter utilitatem publicam conceduntur,*

48. *dummodo manifeſta ſit hæc utilitas.*

49. *VIII. Exſpectantiæ licet firmæ ſtrictiſſime tamen ſunt interpretandæ.*

50. *IX. Exſpectativatus conditionem exſpectantiæ contrariam ſuſcipiens iuri ſuo renunciat, nec datur ei regreſſus ad renunciata, etſi ſtatim ab initio de conſervando iure ſuo proteſtatus ſit.*

51. *X. Exſpectativatus licet abuſive ſimul inveſtitus poſſeſſori alienanti & domino in alienationem conſentienti contradicere nequit.*

52. *De exſpectantiis eccleſiaſticis in ſpecie.*

53. *Hæ præter cætera incommoda votum negativum eccleſiæ neceſſario relinquendum tollunt,*

54. *& ſimoniæ viam ſternunt.*

55. *Exſpectantiæ hæ legibus multis prohibentur & olim pro adulterio ſunt habitæ.*

56. *Concedere illas pontifici romano non, principi autem vix licet.*

57. *Improbantur etiam exſpectativæ in canonicatus & alia beneficia eccleſiaſtica, quæ curam animarum coniunctam non habent.*

58. *item in profeſſiones academicas.*

59. *Improbantur porro exſpectativæ munerum civilium,*

60. *nec non exſpectantiæ feudales,*

61. *quas abuſiva inveſtitura firmiores non reddit.*

62. *De aliis exſpectantiarum ſpeciebus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google